

IN REGVLAM
DIVI PATRIS
BENEDICTI

Declarationes ; & Constitu-
tiones Patrum ordinis
CAMALDVLEN.

Æ



FLORENTIÆ.
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXII.

Omnis ex vobis, qui non renun-
ciat omnibus, quæ possidet,
non potest meus esse Discipu-
lus. Luc. 14.

PIO QUINTO
PONTIFICI MAX.

IOHANNES BAPTISTA
NOVARENSIS,

Eremita, & totius ordinis Camal.
Abbas GENERALIS.

S. P. D.

Æ



INTER multa, & ea
quidem præclara, in nos
Collata beneficia, OP-
TIME PONTI-
FEX; hoc præstare, &

longe omnibus, iure optimo, anteire vide-
tur: quod ubi primum designatus, consti-
tutusq; Generalis, sacros deosculaturus
pedes, Romam veni, ut Religionem no-
strâ Beatitudini tuæ comendarem, ipsa
mihi ante omnia in mādatis dedit, ut ue-
teres cōgregationis nostræ Constitutiones
in unū colligendas curarem: & si quid

in ipsis forte desideraretur, alijs recens ad-
ditis, resarciretur. Quam quidem provin-
ciam, cum libentissime (ut equum fue-
rat) & alacri sanè animo suscepissem;
Quatuor in precedenti Capitulo (ut mo-
re nostro loquamur) Reformatoribus ele-
ctis, Sanctitatis vestrae mentem aperui,
eosq; monui, ut negotium hoc quam pri-
mum perficeretur, operam darent. Quod
cum ad finem ab ipsis perductū fuisset,
Patres Definitores proxime subsequents
Capituli, anni 1569. predictas consti-
tutiones omnes, uno ore, unoque consen-
su probauerunt, ac testimonio suo adscrip-
to, ratas, ac certas esse uoluerunt. Dein-
de, cum Sanctitatis uestrae iussu, Reue-
rendissimo Patri Vincentio Hercula-
nio, ordinis Prædicatorum, in præsen-
tia Sarnensium Episcopo, uidendas exa-
minandasq; dedissem: easdem iterum pa-
tres, ut ab ipso emendate castigatæq; fue-
runt; capitulo anni 1570. nemine pæ-
nitua

nitus discrepante, approbauerunt. Tandem, cum uoluntate Beat. tuæ, in manus dedissem Illustrissimi Cardinalis Clara uallensis: tanta tui erga nos benignitas, atq̃ humanitas fuit, ut proprijs non dedignatus sis oculis, eas inspicere, tertio castigare, & supremã ipsis benigne manum imponere. Quod sic gratum accidit, ut comuni Patrum omnium consensu, sint tertio probatæ, & acceptæ, ac demum Monachis, atq̃ prælatis; diligentissime, ut obseruentur propositæ: atq̃, sub illius felici Augustoq̃ nomine, nunc primum editæ. Quamobrem ut Auctori, ac duci sapientissimo, tibi eas dicamus, tuæq̃ Sanctitati acceptum hoc tam præclarum munus referimus, Quam Deus optimus maximus diu nobis conseruare, incolumenq̃ christiane Resp. præstare dignetur, uti nos iugiter ipsius Maiestatem rogamus, ac petimus.

Florentia Nonis Septembris. 1571.

1. The first part of the book is a general introduction to the subject of the history of the world, and is divided into three parts, the first of which is a general history of the world, the second a history of the world as it is at present, and the third a history of the world as it is to be in the future.

2. The second part of the book is a general history of the world, and is divided into three parts, the first of which is a general history of the world, the second a history of the world as it is at present, and the third a history of the world as it is to be in the future.

3. The third part of the book is a general history of the world, and is divided into three parts, the first of which is a general history of the world, the second a history of the world as it is at present, and the third a history of the world as it is to be in the future.

4. The fourth part of the book is a general history of the world, and is divided into three parts, the first of which is a general history of the world, the second a history of the world as it is at present, and the third a history of the world as it is to be in the future.

5. The fifth part of the book is a general history of the world, and is divided into three parts, the first of which is a general history of the world, the second a history of the world as it is at present, and the third a history of the world as it is to be in the future.

6. The sixth part of the book is a general history of the world, and is divided into three parts, the first of which is a general history of the world, the second a history of the world as it is at present, and the third a history of the world as it is to be in the future.

7. The seventh part of the book is a general history of the world, and is divided into three parts, the first of which is a general history of the world, the second a history of the world as it is at present, and the third a history of the world as it is to be in the future.

8. The eighth part of the book is a general history of the world, and is divided into three parts, the first of which is a general history of the world, the second a history of the world as it is at present, and the third a history of the world as it is to be in the future.

9. The ninth part of the book is a general history of the world, and is divided into three parts, the first of which is a general history of the world, the second a history of the world as it is at present, and the third a history of the world as it is to be in the future.

10. The tenth part of the book is a general history of the world, and is divided into three parts, the first of which is a general history of the world, the second a history of the world as it is at present, and the third a history of the world as it is to be in the future.

INDEX CAPITVLORVM
REGVLAE.

P rologus.	10
De Generibus, uel uita Monachorū.	26
Qualis debeat esse Abbas.	35
De adhibendis ad consilium fratribus.	44
Quæ sint instrumēta bonorum operum.	49
De obedientia Discipulorum.	55
De Taciturnitate.	58
De Humilitate.	61
De officiis Diuinis in noctibus.	67
Quot psalmi dicendi sunt in nocturnis ho- ris.	71
Qualiter, æstatis tēpore, nocturna Laus aga- tur.	74
Qualiter Dominicis diebus Vigilię agāt.	76
Quo Matutinorum solemnitas agatur.	79
Qualiter priuatis diebus matutini agātur.	82
In Natalitiis sanctorū, qualiter uigilię agan- tur.	85
Alleluia, quibus temporibus dicatur.	88
Qualiter Diuina opera, per diem agantur.	90
Quot psalmi, p easdē horas dicendi sunt.	96
Quo ordine ipsi psalmi dicēdi sunt.	102
De Disciplina psallendi.	105
De Reuerentia orationis.	113
De Decanis Monasterii.	117
Quomodo dormiant Monachi.	121
De excommunicatione culparū.	126
Qualis debeat esse modus excommunicatio- nis.	129.

De grauioribus culpis.	131
De his, qui sine iussione Abbatis iunguntur excommunicatis.	138
Qualiter debeat esse Abbas sollicitus circa excommunicatos.	140
De his, qui sæpius correcti, non emendaue- rint.	143
Si debeant recipi fratres egressi de Monaste- rio.	145
De pueris minori ætate, qualiter corripian- tur.	149
Qualis debeat esse Cellerarius Monast.	151
De Ferramentis Monasterij.	154
Si quid debeant Monachi propriū habere.	159
Si omnes æqualiter debeant necessaria acci- pere.	163
De Septimanarijs coquinæ.	165
De Infirmis fratribus.	168
De Senibus, uel infantibus.	172
De Hebdomadario lectore.	173
De Mensura ciborum.	176
De Mensura potus.	180
Quibus horis oporteat reficere fratres.	182
Vt post Completorium nemo loquatur.	184
De his, qui ad opus Dei, uel ad Mensam tar- de occurrunt.	185
De his, qui excommunicantur, quomodo sati- sfaciant.	188
De his, qui falluntur in oratio.	189
De his, qui in aliquibus rebus leuibus delin- quunt.	190
De	

De significanda hora operis Dei.	192
De opere manuum quotidiano.	198
De Quadragesimæ obseruatione.	202
De fratribus, qui longe ab oratorio labo- rant, aut in uia sunt.	204
De fratribus qui non satis longe proficis- cuntur.	205
De oratorio Monasterii.	206
De Hospitibus suscipendis.	208
Si debeat Monachus literas, uel Eulogia su- scipere.	215
De uestimentis, uel calceamentis.	216
De Mensa Abbatis.	213
De Artificibus Monasterii.	224
De disciplina suscipiendorum fratrum.	227
De filiis nobilium, uel pauperum, qui offe- runtur.	238
De Sacerdotibus, qui uoluerint in Monast. habitare.	240
De Monachis peregrinis, qualiter suscipian- tur.	242
De Sacerdotibus Monasterii.	243
De ordine congregationis.	246
De ordinatione Abbatis.	253
De Præposito Monasterij.	259
De ostiariis Monasterij.	263
De fratribus in uia directis.	267
Si fratri impossibilia iniungantur.	269
Vt in Monasterio nō præsumat alter alte- rum defendere.	271
Vt non præsumat quisquam aliquem pas- sim	

sim cedere, aut excommunicare.	272
Vt obediētes sint sibi fratres.	277
De Zelo bono, quem debent Monachi habere.	280
De eo, quod non omnis obseruatio Iustitiæ in hac sit Regula constituta.	282

INDEX CAPITVLORVM SECVNDI LIBRI.

P roemium.	284
De electione cōuentualis, & ijs qui ad capitulum uenire tenentur.	285
Quæ per Prælatos ad Capitulum sint deferenda.	291
De Absolutione Generalis, & aliorū prælatorum ab omni regimine, dignitate, ac titulo.	293
De electione Scrutatorum.	296
De electione, & potestate Patrum Definitorum.	297
De his, quæ agere debent Patres Definitores immediate post eorum creationem, & de electione Præsidentis Definitorij, Scribæ & aliorum.	301
De Absolutione Visitatorū ab eorum officio.	303
De Prælatorum, & Conuentualium examinatione.	304
Quomodo terminanda expedire debeant Definitores.	307
De	

- De taxis, & subuentionibus. 310
- Quo nam pacto facillime fieri potest, im-
mo, & debet, ut Generalis ab uniuersa Cō-
gregatione, & quilibet Prælatu à Mona-
chis sui Monasterij eligantur. 311
- De Generalis, ac aliorum Prælatorum ele-
ctione. 314
- De electione Generalis, & aliorum Præla-
torum extra tempus capituli. 317
- Nullum ex alia congregatione posse in no-
stra, ad aliquam prælaturam assumi. 321
- De Publicatione, & absoluteione capituli. 322
- De Potestate Generalis, & Visitorum. 324
- Quando, & qualiter a patre Generali una
con suis Visitoribus, fieri debeant Visi-
tationes. 327

LAVS DEO.

INDEX RERVM, ET
Constitutionum Notabil. quæ
hoc volumine conti-
nentur.



- Abbas.** Quæcumque dicuntur de
Abbatibus debent intelligi, &
de Prioribus in illis Monaste-
rijs quæ titulum prioratus ha-
bent. cap. 47
- Abbas semper meminisse debet
quod dicitur: & nomen maio-
ris factis implere: ac etiã quod
christi vicem gerit in Monasterio. 35
- Abbatibus nihil extra præceptum domini docere, con-
stituerent, aut iubere debent reg. 35
- Abbatibus memores sint semper, se reddituros esse ra-
tionem in die iudicij de sua ipsorum doctrina, & de
obedientia discipulorum. 35. c. 37
- Abbatibus sciant culpæ pastoris incumbere quicquid in
omnibus pater familias utilitatis minus potuerit in-
uenire.
- Abbatibus, & Priores semel saltem in mense legant ca-
pitulum Regulæ, cui titulus est, Qualis debeat esse
Abbas. 36
- Abbatibus meminerint se in Monasterio esse Patres, nõ
domini: & eius vices agere, qui non venit ministrari
sed ministrare. 36
- Abbatibus duplici doctrina suis discipulis præesse de-
bent. 38
- Abbatibus non plus vnum ament, quã alium nisi &c. 38
Et non habeant acceptionem personarum. 41
- Abbatibus sciant, se reddituros rationem de animabus,
quas regendas susceperunt. 42
- Abbatibus quamuis præsentent omnibus in Monasterio, ita
tamen legibus subdantur, ut non eis liceat, quodã
modo

- modo quicquam agere suo arbitrio. reg. 45
- Abbatres, & alij oēs qui sunt in choro, Maiores legant
in matutinis Euangelium, non obstantibus &c. 78
- Abbatres, nō tantū nōmine, sed re ipsa sint patres. 140
- Abbatix sanctæ Mariæ de Carceribus, permittitur, vt
apud semet ipsam suum Quindenniū seruet. 158
- Abbatres non conturbent gregem sibi commissum; nec
quasi libera vtētes potestate, iniuste disponāt. 246
- Abbatres, quia vices Christi agere videntur; Domni, &
Abbatres vocentur, non sua assumptione, sed hono-
re, & amore christi. 247
- Abbatres quomodo possint aliquem ad altiore locū,
quam ei competat, per professionem, promouere.
118. & 248
- Abbatres, & alij Prælati inter se locū teneant, iuxta Mo-
nasteriorum ordinem. 148. 251
- Abbas ordinatus, semper cogitet quale onus susceperit.
253
- Abbatres oportet esse doctos in lege diuina. 254
- Abbas in correptionibus prudenter agat, ne cupiens
eradere eruginem, frangatur vas. 254
- Suamq; fragilitatem semper suspectus sit. 254
- Abbatres nō sint turbulenti, anxij, nimij, obstinati, zeloti,
neq; suspiciosi, quia nunquā requiescerēt. 254
- Abbatres in iperijis suis, sint prouidi, & cōsiderati. 254
- Abbatres hodie, non per omnia eliguntur à Monachis
Monasteriorū, sed ab vniuersa congregatione. 254
- Abbatres nostræ Congreg. immo & Priores, vbi est titulus
Prioratus, habent omnia priuilegia, insignia;
& iurisd. quā perpetui Abbatres, & benedicti; lugent
& consequenter &c. 255
- Abbatres, & alij Prælati, quo nam pacto fieri potest, vt
eligantur à suis Monachis, & Generalis ab vniuersa
congregatione. 312
- Abbatres, & alij Prælati quomodo, & à quibus eligantur
extra tempus capituli. 317
- in Abbatia Classis semper eligatur Generalis extra
tempus capituli; siue intra annum. 318
- Abusus portendi æstiuo tempore, ante cellam vinariā

vas plenum vino &c. tollitur	181
Accusatores falsi puniantur.	145
Accusatus nemo condemnatur, nisi confessus fuerit, vel legitime conuictus.	145
Aduentus domini ieiunium, non secus obseruandum ac illud Quadragesimæ.	203
Alleluia, quibus temporibus, & quomodo dicatur.	88
Antiphonæ, & psalmi quomodo, & à quibus, omni tē- pore sint intonandæ.	96. cum seq.
Antiphonæ canticorum Euangelij, Benedictus, & Ma- gnificat; quando cantantur vesperæ, & laudes, sem- per intonari debent à maiore totius chori.	97. 98
Si vero non cantantur, intonentur ab Ebdomadario sacerdote. Canticum vero ipsum à Prælato, vel ma- iore sui chori.	100
Aqua sancta, Dominicis diebus post Primam, asperga- tur domus.	92
Aqua benedicta aspergantur Monachi, immo, & con- uersi, & commissi, post completorium.	95
Artifices nostri in venditione suorum operum, nullam fraudem committant, & res suas viliori præcio tri- buant, quam facerent seculares.	225
Artifex nullus nostræ cong. possit mitti ad aliquod agendum in domibus secularium, nisi &c.	225
Artifices nostri nihil vendere possint absq; licentia Prælati: & eum vendiderint &c.	225
Audaces, & nimium sibi auctoritatis vsurpantes, com- primantur.	276
Benedictiones, quæ dantur ante lectiones in vigilijs matutinorum, nullus de nouo ad libitum cōponat, sed ijs vtatur quæ sunt in Breuiarijs.	77
Benedictus in donis suis &c. dicant semper Monachi, pro gratiarum actione cum à Prælato, vel alio ali- quid acceperint.	225
CAMALDVL , I Eremus initium, & caput totius no- stri ordinis.	67
Camaldulensis Eremitæ Prior, omnibus in locis nostræ Congreg. debet, post Generalem supra omnes alios Prælatos; præterquam eum, in cuius esset Monaste- rio	rio

rio; locum habere.	28
Camaldulenses nostri Eremite, semper habeant locum supra omnes cœnobitas nostros.	28
Camal. nostre Eremi Constitutiones à quo, & quādo factæ.	57
Camald. Subprior, & Camerarius in choro post Præ- latos immediate; & in Refectorio, mensa ipsa Præla- ti, honorentur.	28
Camald. Monachi adhortantur ad studia.	196
Camald. Eremi Prior, siue Maior interesse debet ele- ctioni Generalis intra annum.	318
Camise lineæ prohibentur.	222
Cantor hebdomadarius, dum in hebdomada sua mane- bit, locum habeat in choro, super oēs professos.	78
Succentor quis dicatur.	79
Capitulum ordinatio fit à pluribus summis Ponti- ficibus ordinata.	284
ad Capitulum venire qui teneantur.	289
ad Capitulum quæ deferri debeant per Prælatos.	292
Capitulum faciunt, omnes Prælati, & vniuersam re- presentant congregationem.	294
Capituli tempore, non detur portarijs, hospitarijs, co- quis, & huiusmodi donatiuum aliquod pecuniarum, sed &c.	163
Carnium vsus omnino interdicitur.	205
Ciborum ac vini mensuram, & qualitatem, habes in suis capitulis.	178. 179. 180
Cellæ habeant tantummodo supellectilem necessariam videlicet &c.	122
Extra cellam nemini liceat exire cum habitu noctur- no.	123
Cellam si alicui mutare contigerit, nil prorsus inde asportabit.	124
in Cellis lumen ita collocetur, vt nullum sit incendi- periculum.	124
Cellerarij, immo & Prælati, magis quam rerum tem- poralium, curam habeant animarum, sibi commissa- rum .car. 43. Ad hoc enim, non ad cumulandos te- sauros vocantur.	43
	cella

Cella aliquando pro carcere assignetur.	151
Cellerarij partes quæ sint.	151
Cellerarij teneantur, qualibet hebdomada sibi legere capitulum Regulæ, cui titulus est. Qualis debeat esse Cellerarius Monasterij: vt vel sic meminerint quæ sint huiusmodi officij partes.	152
Cellerarij electio ad Prælatû Monasterij pertinet.	153
Cellerarij, siue Camerarij, non ita se in rebus temporalibus demergant, vt spiritualia negligant.	153
Cellerarius, infirmorum, hospitem, pauperumq; cum omni sollicitudine curam gerat.	153
Cellerarij immo & Prælati meminerint, primum querendum esse regnum Dei &c.	153
Cellerarij bis saltem in anno legant coram patribus rationes, & computa Monasterij.	154
Similiter cum recedunt ab vno loco ad alium, fideliter reddant rationem sue administrationis.	154
In Cellis nil comestibile habendum, præter quam poma.	179
Cella Quietæ, ac stabilitatis studioso Monacho, tutissimum refugium est &c.	201
Cellam ornare non liceat.	
Cerimonias externas studeant Monachi, si cupiunt vere esse deuoti, ad unguem seruare; quoniã cultus hominis exterior in his quæ Dei sunt, plurimum iurare solet ipsum internum.	116
Completoriû, & si hora vigesima tertia dici debet, nihilominus &c.	95
Confessio sacramentalis à celebrantibus saltem bis in hebdomada: à non celebrantibus ad minus semel etiam si non comunicant, fieri debet.	113
Confessionem audire peccatorum quorum absolutio nem sibi reseruauit de more Prælati, quibus non liceat.	120
ad Confessiones audiendas secularium, Prælati nõ exponant, qui eo munere sunt indigni.	245
Confessionum auditores omnino pro ipsis nihil petant immo nec accipiant. attamen &c.	247
Confessores, parce, & cum moderatione vtantur facultate	tate

- tatem, quam habemus, virtute priuilegiorum, ab-
soluendi etiam à casibus &c. 245
- Confessio Missæ, completorii, & primæ, idest CON-
FITEOR dicatur præcise ab omnibus, vt est nota
ta in Breuiariis, & Missalibus &c. 108
- Confessionem primæ, & cõpletorii faciat semper qui
præest in choro. 92
- Congregatio nulla reperietur, quæ non suas habeat
constitutiones. 7
- Congregationes fere omnes, quæ sub regula Diui Be-
nedicti militant, quo tẽpore originẽ habuerint. 11
- Congregatio Camald. omnes alias sub regula diui Be-
nedicti militantes (vna Casiuensi excepta) præce-
dit. 14
- Congregationis nomine quid intelligendum. 47
- Cõgregatio nostra (quemadmodum, & aliæ cõplures)
exempta est à iurisd. ordinaria; & immediate san-
ctæ sedi Apostolicæ subiecta. 47.256
- Constitutiones, & in Regulam declarationes esse ne-
cessarias. 5
- Cõstitutionibus inter se differunt cõgregationes sub
vna, & eadem Regula militantes. 7
- Constitutiones omnes, nostre congreg. retroactis tem-
poribus factæ, penitus cassantur, & annullantur: ex-
ceptis &c. 27
- Si qua dubia forte orirẽtur circa has constitutiones,
declaratio spectet ad Patrem Generalem. 137
- Constitutiones nouæ, non facile amodo fiant, & nisi
maxima cum grauitate &c. 309
- Constitutiones nouæ nullius sint valoris, nec vim ha-
beant nisi tribus Definitorijs fuerint comproba-
tæ. 309
- Constitutio inuiolabiliter obseruetur facta in capitu-
lo Marthe, per quam disponitur, vt post duos Ge-
nerales &c. 313
- Conuentualis electio quando, & quomodo fiat. 285
- de Conuentualis officio. 288
- Conuentualibus fiant litteræ testimoniales. 289.293
- Conuersi ob necessitates Monasteriorum possint ali-

quando, à Prælo solè transmitti.	34
Conuersi suas dicant culpas die Dominico.	191
Conuersi manibus laborando ocium, veluti hostem perniciosissimum semper insectentur.	200
conuersis fiant, loco cucullarum, planetæ.	222
conuersi qualiter pro transgressionibus puniãtur.	236
conuersi quomodo professionem faciant.	234
conuersi loco diuini officii suos Pater noster, & Aue Maria, persoluant videlicet &c.	235
Coquinæ ab officio nullus excusetur, nisi &c.	165
Coquine septimanarii lauent pedes & Reg.	165
Coquine officarii qualiter suum officium exercere debeant.	167
Culpæ in capitulo fiant qualibet feria sexta.	191
Culpæ Generales quoties in toto anno, & quomodo fieri debeant.	191
Culpæ Generales fiant in aduentu Generalis, & Vifi- tatorum, aduſitandum.	192
Culpæ leues, quæ dicantur.	127
Culpæ graues quæ fiant.	129
Culpæ grauiorẽs.	136
Culpæ grauiſſimæ.	144
Culpæ, quæ pœnam carceralem, vltra sex menses exi- gunt, Prælatuſ ſoluſ minime ſentẽtiare poſſit.	27
Cucullarum aliorumq; veſtimentorum qui ſit moduſ & meſura.	218. 21
Cucullas duas, & totidem tunicas tantummodo ha- beant Monachi.	22
Decanorum officiuſ eſt dare operam, vt vigeat, & ſeruetur obſeruantia in Monasteriis.	1
Decani ſciant, ſe eſſe, quomodo oculos ſuorum Pra- latorum.	11
Decani poſt Abbatem, & Priorem, omnes alios pri- tos Monachos, etiam maiores ſecunduſ profeſſi- onem, antecedaunt.	1
Definitores capituli quomodo eligantur.	3
Definitores, quæ agere debeant immediate, poſt rum creationem.	3
Definitores quõ terminanda expedire debeãt.	1

Dormire nemini liceat extra comune dormitorio;	
exceptis &c.	122
in Dormitorio, noctis tēpore, sēper ardeat lumē.	122
Dormire quomodo habeant Monachi.	123
Elatos non se reddant de bona seruantia sua, qui ti- ment dōmnum. regula.	21.
Elatio animi, & superbia, virtutū sepe numero solent esse comites.	21
Elationem omnium esse fugiendam. regula.	50
Eremus, vidi in verbo Camald.	
Eremum ire, maioris perfectionis gratia, nullus atten- tare præsumat, nisi prius.	285
Excommunicationum genera declarantur.	126
Excommunicati quomodo satisfacere debeant.	188
Excommunicationes Regulæ, non omnes, secundum q̄ hodie comuniter intelliguntur.	126. cum seq.
Festa, & commemorationes sanctorum totius anni, qualiter celebrentur.	85
Festiuitates sanctorum, qui sunt peculiare aduocati alicuius ciuitatis &c.	86
Feriale officium magis quā fieri potest, frequētetur.	86
Festa principalia cuiuslibet locorum nostrorū ab vno quoq; capite omnimodo, eodē Die celebrētur.	87
Festa sanctorum Benedicti, & Romualdi in omnibus Monasteriis nostris solemnissime celebrentur.	88
Fugitiui qui vere dicantur: & quando, & quomodo re- cipiantur.	146. 147
Fugitiui in nostris Monasteriis, etiam per transitum, non recipiantur, nisi &c.	148
Fugitiui recipiantur vsque tertio.	148
Generalis quando est in choro, post confessionem Pri- mæ, & Completorii, dicat, indulgentiam, & absolu- tionem &c.	93
Generalis in suo aduentu ad visitandum, nō ingredia- tur domum sibi præparatam, nisi post solemnē be- nedictionē in Ecclesia, cū orationibus propriis.	211
Generalis sit semper supra omnes.	248
Generalis, totius est noster camald. congregationis ca- put, cum maxima auctoritate.	257

Generalis in capitulo faciat professionem &c.	295
Gener. sit sēper in Definitorio Præfident, nisi &c.	295
Generalis quo pacto facillime fieri potest, quod vni- uersa congregatione eligatur.	311
Generalis, & alii Prælati quomodo eligantur.	314
Generalis, & aliorum Prælatorum electio quomodo fiat extra tempus capituli, & intra annum.	317
Generalis, & Visitatoris omnem repræsentant congre- gationem.	326
Hereditas aliqua si deuoluatur ad Monasterium.	162
Horæ omnes diuini operis, ac Virginis Marię, omni- bus nostris Ecclesiis quotidie peragantur, non ob- stant.	71.75
Horis quibus reficere oporteat fratres.	183
Hora primę qualiter omni tempore celebretur.	90
Hora completorii, facto signo, conueniant omnes ad lectionem.	90
Post hora primę in capitulo dicatur præciosa &c.	93
Hospites qualiter suscipiantur.	209
Hospitibus lauandi pedes cerimonia non omittita- tur.	210
Hospitium nostrum camaldulense est receptaculū omnium fere viatorum.	211
Ad Mensam Hospitum non desit lectio, saltem in principio.	211
Hospitibus sint semper comites Prælati.	212
Hospites Monachi, transactis duobus diebus, comu- nem vitam, & Refectorium sequi teneantur.	212
Hospites Monachi, immo & Prælati extra Monaste- rium egredi non præsumant nisi cum licentia, & be- dictione Prælati domus.	212
Hospites religiosi, non nostri ordinis honore præue- niant.	213
Hospites S E C V L A R E S , & presertim pauperes qua- liter recipiantur.	213
Hospites seculares, vltra tres dies in nostris Monaste- rijs detineri non possint.	213
Hospitatorum officium quale sit.	214
Humilem neq; esse, neq; dici posse, qui Deo, & eius vi- cem	

cem gerentibus obedientiam minime præstat.	57
Ad exaltationem Cælestem: per præsentis vitæ humili- tatem ascenditur.	61
Humilitatis xij gradus habes in ca. de Humilitate.	61
ab Humilitate ipsa virtutes omnes, modo quodã ori- ri ac demanare videntur.	65
Humiliter de congregatione nostra, de Monachis, de- que nobis ipsis est sentiendum, & loquendum.	66
Instrumenta bonorum operum, & Artis spiritualis quæ dicantur.	49
Inventariorum copiã pœnes se habeat Prælatus.	155
Infirmorum cura ante omnia, & super omnia adhi- beatur.	168
Infirmorum curam specialem habeat carcerarius.	169
Ad mensam infirmorum non desit lectio.	170
Infirmus nullus ad Balnea possit accedere nisi de licẽ tia Definitorum vel Generalis.	170
Infirmi Monachi non possint se transferre, maioris curæ gratia ad domus secularium.	171
Juniores maiores suos honorent.	246
Cum junioribus, dum sunt ad recreationem sit sem- per Prælatus vel aliquis senior.	60
Juniores cum simul erunt recreationis causa caueant à clamoribus, & dissolutionibus &c.	60
Lectioes in choro non ita breues legi debent quem- admodum in Breuiarijs sunt notatæ.	72
Legendarium sanctorum, Homiliarium, & Biblia sacra habeatur in choro pro lectioibus Matutini.	72
Lectioes à quibus, & quomodo legendæ sint in cho- ro, Dominicis diebus, & alijs &c.	77
Lectioes in loco eminentiori legantur, & in ea par- te chori vbi non sunt hebdomadarij.	78
Lectioes, & Responsorialia dicantur, vt hætenus ser- uatum est exceptis duobus vltimis de Homilia.	78
Lectioes, Antiphonæ, & Responsorialia, diebus feriali- bus, à quibus, & quomodo dicenda.	83
Lectio completorij quantæ longitudinis &c.	92
Lector Mensæ petat ab omnibus pro se orari.	173
Lector Mensæ accipiat benedictionem.	175

Legi quæ debeant ad Mensam per totum annum.	177
Lector, habita benedictione, non exordietur quousque &c.	176
Litteras, nec munuscula possint Monachi alicui mittere, nec recipere, & præsertim Monialibus.	215. 216
Ludi omne genus penitus à nostris Monasterijs, eliminantur.	59
Ludentes, quibus poenis puniantur.	59
Ludi, comedie, representationes, & id genus omnia, ne cum vestibus fiant laicorum prohibentur.	59
Maledici, ac detractores puniantur.	66
Malorum fere omnium quæ in Monast. fiunt sunt causa plerumque Maiores.	75
Matutinum per totum annum, vna hora immediate, post diuinam noctem, persoluatur.	66
ad Matutinum surgentes quas orationes dicere teneantur.	69
ad Matutinum quando genuflectere, & quando itidè inclinare debemus.	69
Matutinum Beate Mariæ Virginis à Pascha Resurrectionis vsq; ad festum Sanctæ Crucis Septembris, non dicatur in choro, sed &c.	74
ad Matutinum, diebus dominicis, & aliis festis similibus, surgatur temporis.	76
Matutinæ laudes semper dici debent immediate post vigilias, vt in Brenarijs.	79
ante Matutinales laudes semper dici debet oratio Dominica.	79
Mensæ Monachorum qui seruire habeant.	166
Mensæ qui seruiertint venias suas faciant.	167
Mensæ hebdomadarii exeuntes, teneantur dicere.	167
Mensæ hebdomadarii intrantes dicere teneantur &c.	168
Mensæ comuni fratrum studeant interesse Prælati.	223
de Missis, & Missalibus.	113
Monasterium nullum in posterum constituatur, in quo non valeant sustentari saltè xii. Monachi.	23
in Monasterijs omnibus, in quibus vestiuntur Novitii, vel sunt iuvenes studiis apti, teneatur Magister qui &c.	194

in Monasteriis principalib. erigantur biblioteche.	195
Monasteria quæ sint in Prouincia Ethrusiæ.	249
Monasteria quæ sint in Prouincia Venetiariû.	249
Monasteria quæ sint in Prouincia Romandiole.	250
Monasteria quæ sint in Prouincia Marcæ Anconita- næ.	250
Monasteriorum omnium Prælati, quem ordinem in- ter se tenere debeant.	251
Monasteria ita ædificentur &c.	263
Monachi non minus quam duo, in locis seu membris nostrorum Monast. teneantur.	29
Monachi cum eis transmigrare ab vno ad aliquid Mo- nast. contigerit, omnia ostendant, quæ secum tra- sportare voluerint.	30
Monachos in domibus laicorum commorari, indecês est.	32
Monachi non possunt in domibus secularium comede- re, nec pernoctari.	32
Monachi Monasteriorum qui sunt extra vrbes, non possint soli mitti ad vrbes, & oppida, nisi &c.	34
Monachi iidem, cum ad ciuitates processionum gra- tia proficiscuntur &c.	34
Monachi non sacerdotes, & conuersi, singulis saltem mensibus in Quadragesima autem, & Aduentu sin- gulis diebus Dominicis, communicare teneantur.	51
Iidem, & si non voluerint communicare, confessionem faciant singulis diebus Dominicis.	52
Monachi omnes ab omni frequẽtia, ac familiaritate secularium dauent, ministris exceptis.	52
Monachi nostri, non possint exercere negocia secula- ria.	53
Monachus nullus possit sibi facere comatres, neque ad feminas cuiusuis occasionis prætextu, accede- re.	53
Monachi verba in honesta, aut minus religiosa profe- rentes, grauius puniantur.	53.58
Monachi recte instituti oculos humi defixos inter es- sum habere solent: & manus &c.	54
Monachi non exuantur propriis vestibus, vt lauentur	

- 7 in fluminibus, nisi &c. 60
 Monachi non possint, imo nec Prælati ad Monasteria nostrarum Monialium, aut etiam alterius ordinis accedere, neque &c. 136
 Monialiū Capellani, qui permiserint &c. puniant. 136
 Monachi aliqui à Prælatiſ respiciuntur, iusto; Dei iudicio. 142
 Monachi aliquando possunt, habitu religionis exui, & à nostra congregatione expelli. 143
 Monachi nostrę Congregationis non possunt ad aliã Religionem transire, nisi ad Eremum nostrum, & ad Patres Sancti Romualdi, Montis Coronæ. 147
 Monachi, qui iusta causa carceribus, vel semel fuerint mancipati, non possint per decennium &c. 148
 Monachi, qui ab vno ad aliud Monasterium proficiſcuntur habeant litteras sui Prælati &c. 148
 Monachi si quid proprium habere possint. 159
 Monachi, qui aliquo modo, pecunias haberent, teneantur quantocius suo Prælato præsentare. 160
 Monachi (excepto Prælato) nõ possint recipere deposita, neq; tenere deposita. 160
 Monachi, quę possident talia sint, ut ea Prælatus ad libitum auferre queat. 161
 Monachis taliter Prælati de omnibus necessarijs provideant, vt omnis proprietatis occasio tollatur. 161
 Monachus, nec furcinulas, nec alia huiusmodi argentea habere possint. 163
 Monachi, qui ad opus Dei, & ad mensam tarde occurrunt, qualiter corripiantur. 185
 Monachi qui falluntur in oratorio suam culpam dicant. 189
 Monachis, qui idonei censebuntur ad perdiscendas litteras, assignentur Magistri. 194
 Monachi tunc vere sunt Monachi, cum de labore manuum suarum viuunt. reg. 198
 Monachis infirmis, aut delicatis &c. reg. 198
 Monachi Patres nostri, antiquitus, aut studijs, aut diuersis manuum exercitijs operam dabant. 199
 Nullus Monachus audeat impressioni quidpiam tradere

lere.	225
Monachorum scripta sint in omnibus honesta.	226
Monachorum studia, quę esse debeant.	226
Monachi non vacent venationi &c.	226
Non incumbant artibus diuinatorijs, neq; alijs facultatibus, quę à sacris canonibus interdiciuntur.	226
Nullus Monachus sit apud Magistratus, vel iudices procurator secularium, neque negociorum actor.	226
Monachi nostri non possunt publice legere, neque lectiones audire in aliquo studio generali.	226
Monachi peregrini omni charitatis affectu veluti hospites recipiantur.	242
At vero non ita facile in congreg. admittantur.	242
Monachorum defunctorum libri, & vestimenta ad quos spectent.	263
Monachi redeuntes ex itinere, perant orari pro se, dicant suam culpā; nec præsumant alijs referre quę viderint &c.	268
Monacho si impossibilia iniungantur.	269
Monachus Monachum non præsumat defendere.	271
Monachus Monachū non cedat, vel ma'edicat.	278
Monachus, cum à Prælato suo de quauis re, etiam minima reprehenditur, statim genuflectat.	279
Caueatq; ne verbumculum quidem respondeat, nisi &c.	279
Monachi in accipiendis benedictionibus integre genuflectant, non Aulicorum more tantisper inclinent.	280
Monachi omnes professi si non sunt legitime impediti, peccant mortaliter quoties officium domini, vel virginis in totum, vel in partem scienter dicere omittunt.	104
Monachi non possint in Ecclesiam ad officium pergere absque cuculla.	106
Monachi transeuntes ante sacrum Christi corpus, profunde inclinent; & Ecclesiam non ingrediantur nisi nudato capite.	107

Monachi quāta cum reuerentia, & deuotione stare de beant in choro.	110. 111
Nulli Monacho liceat aliam cellam, quam propriam ingredi.	122
Nulli Monacho liceat adire Patrem Generalem, ni- si &c.	138
Monachis priuatis non liceat ire ad capitulum.	138
Monachi non possint litteras mittere, neq; sibi missas legere nisi prius &c.	134
Si quis Monachus litteras difamatorias, libros, vel aliud simile scripserit, puniatur.	134
Mulieres intra septa Monasterij, sub pœna excomuni- cationis, non admittantur.	213
Murmuratores, maledici, & malorum imprecatores, puniantur.	275
Musicalis cantus interdicitur.	111
Musicalia instrumenta quæ permittantur.	112
Novitiorum Magistri, quæ sint partes.	332
Novitiorum Magistri, & iuuenum doceant eos ubiq; reuereri senes &c.	253
Novitiorum Magistri inter prima religionis erudimē- ta, doceant discipulos suos modum surgēdi ad Mat. qui habetur.	70
Novitios, qui sunt sub cura Magistri, nullus Mona- chus possint alioqui &c.	278
Novitiorum Magistri licentiam quandam sibi vsurpa- runt.	278
Novitiorum curam relinquunt Prælati Magistris suis.	279
Obedientia vnum est e tribus principalibus votis	57.
De obedientiæ virtute.	55
Obedientes qui esse cupiunt sciant se non venisse facē re voluntatem suam.	55
Obediētia quæ maioribus prebēt, deo exhibetur.	56
Inobediētia omnis in congregationibus vnde oria- tur.	56
Obediens qui non est, neq; humilis.	57
Obediētia externum quoddam est, inter nax, ac intus corde latentis humilitatis inditium.	57
	Offi-

- Officium.** Quod ad officium attinet, nihil est quod multa dicantur in constitutionibus, cum fere omnia ad id necessaria, habeantur plenissime in Breuarijs.
- Officiarij omnes teneantur reddere rationem suæ administrationis.** 161
- Officina Camerarij sit iuxta portam.** 166
- Orationes exaudiuntur, cum sunt non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum; & ideo debet esse breuis, & puta, nisi &c.** 113
- Orationes in Missis, non ad libitum, sed prout signatæ sunt in libro dicantur.** 115
- Oratio mentalis fiat singulis diebus ab vno quoq; Monacho saltem per dimidium hore.** 117
- Orandum pro pœnitentijs. reg.** 142
- Oratoria erigantur in singulis nostrorum Monasteriorum membris.** 204
- Oratorium hoc sit, quod dicitur, & ideo &c.** 206
- Orationes fieri debent in principio capituli.** 294
- Organa quando pulsari debeant.** 116
- In oratorijs non reponantur fruges, neq; similia.** 107
- Ostiaris Monast. sit non solum tenex, sed senex sapiens. reg.** 263
- Ostiaris cellam habeat iuxta portam.** 263
- Pœne. Vide vbi dicitur de culpis.**
- Pœne quæ à Definitorio iniunguntur; non valeant alterari.** 130. 147
- Prælati non possunt facere facultatem egrediendi sepra Monast. nisi &c.** 34
- Prælati, & conuenticales euntes ad Capitulum non digrediantur &c.** 30
- Prælati auctoritas non extenditur ultra iurisd. suam; & quæ sit vniuscuiusq; iurisdictionis.** 32
- Prælati non possunt terminos suarum prouinciarum egredi, nisi &c.** 33
- Prælati non dissimulent peccata delinquentium. 40. 42**
- Prælati, quâdo præcipua agenda sunt in Monasterio, conuocent ad consilium fratres; & quæ dicantur præ-**

precipua.	44
Prælatus non potest bona immobilia alienare, excedētia valorem &c.	48
Prælati in festis plenissimis teneantur cantare Missam.	115
Prælati post capitulum congregationis singuli quoq; anno ordinent suum Monasterium, distribuendo officia, & obedientias.	118
Prælatus quilibet teneatur ponere in capsa singulis annis suam portionem Quindennij.	132. 158
Prælatus, imo nec Monachus vllus possint quippiam seruandum tradere &c.	133
Prælati non possunt donare ex bonis Monasterij, nisi &c.	135
Prælati non ita facile excomunicent.	139
Prælati damnantur qui tantum Monachos deuotos, & quietos volunt in suo Monasterio?	142
Prælati deponentes suam partem quindennij, faciant sibi de huiusmodi depositione, fidem fieri à Prælato Depositario.	158
Prælati omnes libellum habeant peculiarem, in quo pecunię omnes quę mutuo recipiuntur, scribantur & ipsam teneantur portare ad capitulum.	162
Prælati nonnullis vicibus in anno tenentur seruire Mensę.	167
Prælati vna cum Decanis saltem tribus vicibus in anno diligenter vident cellas.	221
Prælatus non possit mittere iuuenes ad sacros ordines suscipiendos, nisi de consilio seniorum.	244
Prælati omnes quę locum inter se tenere debeant.	252
Prælatus nullus absq; cõsilio seniorũ ædificet &c.	264
Prælati meminerint se esse pastores, non tyrannos.	270
Prælaturis quando, & quomodo renũciari possit.	271
Prælati quando admonent, tam in capitulo, quam extra caueant à verbis iniuriosis.	276
Prælati non querant quis contra eos scripserint.	289
&c.	289
Prælati qui voluerint causa manifestę infirmitatis se cum	cum

eum adducere cōuersum ad capitulum, pro suo obsequio, possint.	292
Prælati soluant vnum pro centenario.	293
Prælati quomodo examinari debeant a Patribus Definitoribus.	304
Prælati, & Monachi quomodo examinari debeant in Visitationibus.	
Præpositi Monasteriorum, siue Priores, & subpriores quos dicimus claustrales eligantur à Prælato Monasterio cum consilio fratrum. reg.	259
Præpositi si reperti fuerint vitiosi, amoueantur.	259
Præpositi absente Prælato vices in omnibus obtineant Prælati.	261
Præpositi non sint exempti a lectura Mensæ, neq; ab officio hebdomade in choro.	262
Præpositis quæ relinquere debeant à Prælatibus euntibus ad capitulum.	262
Præpositorum principalis cura, & officium sit à gere vt in omnia, & in spiritualibus specialiter, constitutiones obseruentur.	262
Præsentium integritas salus est subditorum.	36
Procuratores vnus, vel plures instituantur.	157
Procuratoris officium satius esset exerceri per clericum.	158
Professio quomodo fiat in nostra congregatione.	332
Psallendum quomodo.	111
Pueri delinquentes quomodo puniãtur.	137. 149. 173
Pueri qua disciplina suscipiantur.	227. cum seq.
Pueri qualiter habitu sancte religionis induantur.	228
Puer nullus recipiatur ad habitum minor xv. annorum.	238
Quadragesimæ principio Prælati præbeant Monachis suis psalterium, iniungentes &c.	203
Quadragesima quantum ad abstinentiam inchoetur immediate post Dominicam quinquagesimæ.	203
Reformatores constitutionum qui fuerint.	2
Regula quibus tradatur à Patre Benedicto.	15
Regulam interpretari, & facere const. possunt Patres Definitoribus.	27

Regule obedientia, & constitutionum præcipitur, & præsertim prælatis.	56
Regulam suam tradidit Diuus Pater incipientibus &c.	282
Sacerdotes omnes, & in primis Prælati, non solum dominicis diebus, & alijs festiuis, celebrare deberent, verum etiam & frequentius.	51
Sacerdos hebdomadarius locum habeat in choro &c.	99
Sacerdos celebraturus se præparet.	114
Sacerdotes in priuatis Missis studeant magis placere Deo, quam hominibus parum deuotis.	114
Sacerdotes alterius religionis, non ita facile in nostra recipiantur.	241
Ad sacerdotium nullus promoueat, nisi post decennium à receptione habitus.	245
Sacerdotes nouelli in suis Missis nouellis, non faciant inuitationes.	245
Sacerdotes qui sunt per viam extraordinariam, suspendantur.	245
Sacristæ officium quale.	193, 197
Scota, siue sargix flandrenses, permittuntur.	218
Scripture, & codices, quoniam sunt thesauri Monasteriorum, summa cum diligentia custodiantur.	155
&c.	155
Scripturæ vniuersam congregationem concernentes vt sunt privilegia, & huiusmodi, seruentur in Abbatia nostra S. Michaelis de Murano.	155
Scripturæ cuiuslibet Prouinciæ quibus in locis custodiendi debeant.	156
Scrutatores quomodo eligantur.	296
Seniores qui dicantur.	47
Senior aliquis sit semper præsens recreationibus fratrum.	
Senes adiudicati, propriam cameram habeant in infirmeria.	172
Senes non conturbent (vt aliquando fierent solet) alios, cum suis murmurationibus.	173
Silentio, & taciturnitate (quod ad externas attinet cetero)	rimo-

rimonias) nihil in homine religioso comendabilius reperiri potest.	58
Silentij seruandi gratia, & vt omnis scurrilitatis occasio e medio tollatur, neque canes, neque aues, vel id genus cætera animalia, intra septa Monastriantur.	59
Silentium soluitur &c.	94
Silentium seruandum post completorium.	184
Silentium maximum seruetur, æstiuo tempore; à pulsatione campanulæ ad dormitionem, vsque ad Nonam.	200. 201
Titulares Prælati subditi sint &c.	252
Titulares Prælati resideant.	257
Titulares Prælati quas exemptiones habeant.	255
Tunica non cingantur nisi corrigijs coriaceis, & habitus cingatur cingulo laneo, ex pannorum extremitatibus desumpto.	222
Tuniculas quatuor, & non amplius habere possint Monachi, & tria scapularia.	222
Vestimenta quæ dari debeant, singulo quoque anno Monachis.	164
de Vestimentis habentur quamplurima.	217
Vestimenta omnia esse debent candidi coloris.	219
Vestimentorum omnium modus, & mensura.	219
Vestimenta noua accipientes, restituant vetera.	221
Vestimenta nostra careant omni ornamento.	221
Vicarij auctoritas non extenditur vltra prouinciam suam.	33
Vicarij prouinciarum, absent Generali, habeant in sua prouincia eandem auctoritatem supra Monachos, quam &c.	33
Vicarij prouinciarum quem locum inter se tenere debeant.	249
Villicus instituat, vbi Monasterij magnitudo id requirit.	157
de Villici officio.	157
Visitatores post Generalem debere super congregationem inuigilare, & ipsum Generalem in omnibus adiuuare.	258
	Vbi

Vbi dicitur quod pœne ad arbitrium Generalis, & cõ similia fiant, semper intelligi debet cum consensu Patrum Visitatorum.	258
Visitatores possunt visitare, de eius mandato, absque Patre Generali.	258
Visitatores referant Visitaciones, & postmodum re- nuncient, & absoluantur.	303
Visitator nullus assumatur, qui eiusdem sit professio- nis cum Patre Generalis.	313
Visitaciones quando & quomodo fieri debeant.	327
Zelus malus separat à Deo.	280
Zelus bonus separat à vitijis.	280
Zelus bonus quanta operetur. similiter, & malus.	281

F I N I S.

*Die xij. Nouembris 1571. Habitu fide à
Theologis fide dignus, Nos Fr. Franc. de Pisis
Sac. Theol. prof. Viceinquisitor Generalis Flo-
rentia licentia imprimendi concedimus.*

IN
CAMALDVLENSIVM
MONACORVM
CONSTITVTIONES,

*Et in Diui Benedicti Regulam
Declarationes.*

NE
PROHEMIVM.



A est humanarum rerum cōditio, Patres optimi, vt nisi summa prudentia, & solertia gubernentur, atq; regantur, facile à perfectione declinent; & si aliqua, vel minima negligentia irrepserit tēporum vetustate, quæ omnia solet abolere, collabantur. Quam rerum humanarum infirmam conditionem considerantes Patres nostri, & illi precipuè, qui totę huic nostræ Camaldulensium congregationi gubernandæ, regendęq; inuigilant; veriti sunt, ne, Si longa temporis diurnitate; antiquatæ pene iam Constitutiones nostræ, in aliquam partem ad pristinam puritatem non reuocentur, & aliæ quædam, quo nostro huic seculo necessaria quadam vi ita postulatę, mores nostros, vitamq; accommodemus, denuo instituantur; tota nostra hæc sancta congregatio collabatur, aut certe damnū aliquod,

A &

& scandalum patiatur. Ad hoc Sanctissimi Patris Nostri Pij Quinti Pont. Max. voluntas accessit. Qui, vt ardentissimo Domus Domini zelo assidue vritur, quam maximo optauit opere, vt hoc, quod nunc effectum est, à Nostri Patribus prestaretur. Ergo Classense capitulū Ra uenæ in Abbatia nostra, superiori anno millesimo quingentesimo sexagesimo octauo celebratum, D. E G I D I O de valle tellina præsidēte, totū hoc negociū D. S T E P H A N O Brixienti, D. A N T O N I O Pisano, D. M A V R O Mandellio, & D. P E T R O de Bagnacuallo demandant; vt mutuis colloquijs, solerti diligentia, matura consideratione, & examinatione præmissis, rationibusq; in omnes partes facientibus, consideratis; pro suo in totam Congregationem studio, in Summum Pont. obseruantia, & in Capitulum, & maiores debita obedientia, totis viribus in hanc vnā curam inuigilarent; quo & Constitutiones nostræ aliquo modo, vt sic dixerim, restaurarentur, & quæ antea sparsim diffuse, nimis magna illarum obseruationis iactura, vix à minima nostrorum hominū parte cognoscebantur, in aliquod tandem opusculum, breui quantum fieri posset, methodo, redigerentur; & ipsi Regulæ suis quæq; locis, ascriberentur. Itaq; & congregationis malo occurreret, & Beatissimi Patris nostri voluntati fieret satis. Qui quidem patres, tum ob suam in Capitulum, & maiores reuerentiam, tum ob desiderium Summo Pont. obsequendi, & vniuersam

sam congregationem iuandi, nihil antiquius habuerunt, quam vt omnino huic sibi tradito muneri, oneriq; responderēt. Qua propter tota res (nam breui perstringam) inspecta, & ex præcepto sibi à Patribus tradito, perfecta: & nunc in Capitulo item Classensi præsentis anni MDLXIX. cum Reuerendissimo Patre Donno Ioanne Baptista Nouarensi Heremita, & vniuersæ Congregationis Præsidente Generali, comunicata; Has præsentis constitutiones ex supradicto, & præcepto, & ordine institutas, patribus omnibus in definitorio versantibus, proposuerunt, vt scilicet cōsideratas, ac rite perspectas, approbarent. Qui quidem definitorij Patres illas, vt pias, Sacris Canonibus, & Conciliorum Decretis adherentes, & nostris privilegijs nitentes, sanctasq; , vno eodēq; consensu, vna omnium voce primum, tum secretis suffragijs, nullo penitus discrepante (saluo semper Sanctæ Ro. Sed. beneplacito) approbarunt, & confirmarunt. Atq; vt aliquid hic de hoc toto negotio dicamus breui; quæri posse fortasse cuiuspiam videatur, quare tandem constitutiones necessarias Patres nostri, vbi est Regula iudicarint. Ad quã rem facile admodum se nobis offert quod respondeamus. Primum enim omnium, nullum statutum, nulla penè lex inuenietur, quæ apud quamlibet totius orbis terrarum nationem, simplici illa, qua ab Auctore lata fuit, institutione seruetur. Hinc nouæ, quotidie leges, hinc noua decreta, hinc pene in

4
 numeri legum, & tam ciuiliſ (vt vocant) quam Pontificij iuris interpretes, hinc in philoſophorum libros infinitæ diſputationes, & quod ſummum eſt, in ſacram paginam tot gloſſemata, & innumerabiles explicationes emanarūt. Quod ſi quis dicat, conſtitutiones has non perinde omnino ad regulam **DIVI BENEDICTI** ſe habere, vt illæ ſuperiores, quas diximus, aut in ſacra ſcripta, aut ī philoſophiā, aut leges etiā plurimorum declarationes: quod in his aliquid interdum minuatur, addatur, mutetur; id ſciat pro temporum, rerum, & locorum, ratione ſic expoſcente, & veluti exigente, profeſtum. Neq; tamen hac in re quicquam inuſitatum molitos nos eſſe viſum iri exiſtimamus. Quæ enim vnquam Reſpub. (nam, vt aliæ omnes: ita hec noſtra congregatio reipublicæ cuiuſdā imaginem præſert) quod nam Imperium à principio tam firmis fuit, ac certis legibus conſtitutum, atq; munitum, vt aliquid mutare, minuire, addere tempus ipſum non coegerit, vel inuitos? An fortasſe iſſdem legibus Romanum Imperium, regnante Romulo, iſſdem Numa, Tullo, cæterisq; iſſdem Conſulibus Reſpub. adminiſtrantibus regebatur? Et tamen ad vnū omnia, benetractandi, ſeruandi, augendi imperij finem ſpectare quis negabit? & ne nimis lōge noſtra vagetur oratio, hoc ſummi iſſdem Sanctiſſimi Pontifices congregationi noſtræ non conceſſiſſent, niſi res ipſas, & tempora ſic expoſcere iudicaſſent: vt taceam, quod impium eſſet
 omnino

omnino de antiquis nostris patribus, qui primi constitutiones in Diui Benedicti Regulam instituere, quicquam sinistrum, aut minus religiosum cogitare. Nunquam enim illi (qua erant pietate, ac vitæ sanctitate) ne transuersum quidē vnguē de diui Benedicti regula mutassent, minuisset, addidisset, nisi id ita fieri oportere, fuissent optimis rationibus arbitrati. Quas ego rationes, eas nimirum, quibus illi adducti, primas in Regulam constitutiones inuenerunt, referre non grauarer (sunt enim in prōptu) sed ad ea, quæ nostra tempora postulant, festinat oratio. Quo nam enim tandem pacto; Si nostra hæc ætate Abbates, & Monasteriorum Priores, quos vocamus, perpetuos eligeremus; fieret vt non quod superest terreni, & perinde ad mortalem vitam regendam necessarij subsidij, penitus distraheretur? Præterea quid magis in congregatione hac, & in omnibus etiam æque retinendū est, & omni ratione curandum, quam vt in sancta quiete, iucūda pace, inter nos, & summa animorū trāquillitate viuamus? Hanc autem pacē qua nam via retinere inter nos, & habere possemus, si collegiorum Rectores à Monachis illius Monasterij in omnem partem eligantur? Non ne id magnas discordias, & penè factiones apud nostros maiores sæpe peperisse cōperimus? Neq; mirum hoc etiam fortasse videri debeat, si multa, quæ nostris primis patribus obseruatu facilia, atq; adeo salutifera essent, nobis nunc, in quos fines seculorum deuenierunt, non

conuenire dicamus. Illi etenim in siluis, in montibus, auijsq; ferarum lustris edificantes, habitabant. quod in antiquissimis nostrarum Abbatiarum ruinis perspicui potest; & ex nobilissimo terrarum orbis Camaldulense Collegio, in altissimis Apennini iugis constituto, luce clarius patet. nos verò in vrbes ferè omnes, & oppida redacti, secularium (nam sic est dicendum) cogimur plurimum commodis inferuire. & ea de causa fit, vt nullo modo, quod singulis diebus ex regula præstare debemus, in toto anno id efficere cum diei luce possimus: cum hyemis tempore vix satis Ecclesiæ de die, ac populis faciamus. Qua verò diei hora possent nostri sæculi Monachi Sacerdotes, presertim in vrribus, & locorum frequentia, agrorum incumbere cultu re, & rusticanis negocijs implicari? Idemq; cibarijs componendis, quomodo possent æque, ac cæteri, & patinis abluendis in culina versari, cum illi confessionibus audiendis, ac cæteris Ecclesiæ Sacramentis populo ministrandis, sacris faciendis, officijs decantandis, ferè sint semper occupati? Quo pacto possumus hoc nostro tempore illam tantam, de qua Regula loquitur, pedum abluionem obseruare? Nam qui poterit Abbas hospitibus assiduè comes esse (qui infiniti sepè sunt) & non reliqua maiora negocia sui Monasterij, & congregationis intermittere, ac negligere? Cæterum in Regula nulla de obseruatione Aduentus Domini mentio facta est, & tamen videmus cum quanta, no-

tantum nostre congregationis; quantum omnium populorum deuotione, non secus ac ieiunium Quadragesimale, à nobis obseruetur. Sed nimis fortasse sumus hac in re, nota per se satis omnibus, immorati. Quare taceant, taceant qui Regulam solam amplecti se velle simulant, sanctissimas constitutiones, ab optimis patribus institutas, à plurimis Summis Pôtificibus confirmatas; & ideo Max. & optimo Deo gratas; nihil nisi pietatem, deuotionem, religionem, sanctitatemq; redolentes; respuunt, atq; contemnunt. Quid enim, obsecro, an vlla religiosorum hominum congregatio reperietur, quæ post primam, aut sibi datam, aut à se assumptam regulam, nullis constitutionibus ab ipsis patribus institutis, & à summis Pont. confirmatis vtatur, & viuat? Porrò quot religiosorum hominum genera sub vna eademq; diuini Benedicti regula Deo, & Ecclesiæ inseruiunt? Quod si nullis constitutionibus extra, seu præter regulam sit vtendum, quid inter se Cassinenses, Camaldulenses, Cistercienses, Vallis Umbrosæ, Vlietani, cæteri; differrent? eos autem inter se differre, Ecclesiæ Sanctæ, & Deo placuisse, placereq; quis neget, cum præsertim illæ differentiæ (preterquam quod ipsa Ecclesiæ Sanctæ approbatio satis magno est argumento ad probandum, optimo Deo id gratum fuisse) maximis frequentibusq; miraculis sint omnes exortæ, & in Sanctam Ecclesiam inductæ? Hæc est illa sancta varietas, qua Regina Domini, id est

Sponsa Dei Altissimi, pura mater Ecclesia, astitit à Dextris Dei in vestitu deaurato, varietate circumdata: & concupiuit Rex Regum decorem eius, quoniam illa hoc pacto adorat ipsum Dominum Deum suum, & veneratur: eiusque vultum, ornamenta nimirum, & totius habitus variationes, laudant omnes exercitus; & insimbrijs aureis circum amictam varietatibus in letitia, & exultatione, in regis templum, in cœlestem Sion adducent. Accipite igitur, viri Camaldulenses, constitutiones vestras, diui Benedicti Regulæ adscriptas, ex totius nostræ congregationis desiderio, & Sanctissimi Pontificis **PII QVINTI** voluntate confectas; in quibus & antiquæ nostræ multæ, & Eremiticæ aliquæ, aliæque, prout expedire visum est vniuersæ congregationi, continētur: ex quarum norma post hæc tota nostræ congregatio, præceptoque, Deo Optimo Max. seruiat. Neque quisque suadente nequissimo humani generis hoste diabolo, secum arbitretur paruam, vel minimam ad sui obseruantiam, vim constitutiones in se habere. Non enim regula, aut constitutio, tam Benedicti quam patrum, per se obligat hominem, sed Ecclesiæ Sanctæ confirmatio, & approbatio, penes quam altissimi Dei, & Iesu Christi seruator authoritas, & propria cuiusque professio. Omnia, Reuerendi Patres constitutiones has à diui Benedicti Regula, non nisi magna cum ratione & ubi ipsa necessitas, postulat, discessisse videtis, & nihil esse introductum, quod non ad

pietate, iustitiam, pacem, deuotionem maxime faciat. Graue autem nihil hominibus, arctam, & angustam caelorum, & perfectionis via ingressis, uideri debet.

FINIS PROHEMII.

IN NOMINE DOMINI
NOSTRI IESV
CHRISTI.

Incipit Prologus Regulae.



VS CVLTA, o fili p̄cepta ma-
gistri: & inclina aurem cordis
tui; & admonitionem pij patris
libenter excipe: & efficaciter cō-
ple: vt ad est per obedientie la-
borem redeas: à quo per inobe-
dientie desideria recesseras. Ad
te ergo nunc meus sermo dirigi-
tur: quisquis abrenuncians proprijs voluntatibus do-
mino Christo vero regi militaturus, obedientie for-
tissima atque p̄clara arma assumis. In primis vt
quicquid agenda inchoas boni, ab eo perfici, instan-
tissima oratione deposceas. vt qui nos iam in filiorum
dignatus est numero computare, nō debeat aliquan-
do de malis actibus nostris contristari. Ita enim ei
omni tempore de bonis suis, in nobis parendum est vt
non solum, vt iratus pater suos non aliquando filios
exhæreder: sed nec vt metuendus dominus irritatus
malis nostris, vt nequissimos seruos perpetuā tradat
ad p̄nam, qui eum noluerint sequi ad gloriam.

NE quid nobis desit, Camaldulenses, quod ad
rem nostram facere, & nostro huic negotio
prodesse possit; ante omnia de uoluntate patrum,
hæc quæ sequuntur, veluti quedam p̄ludia, du-
ximus apponenda. Beatus igitur Antoninus
Archiepiscopus Florentinus in patrum Collatio-
nibus

nibus, quas ipse abbreviauit, atq; correxit, de
Diuo Benedicto loquens, & eius regula sic ait.
Sicut autem Basilius dicitur pater Monacho-
rum in Oriente; ita etiam Beatissimus Benedictus
pater Monachorum in occidente. Ipse enim (ut ait
Gregorius) scripsit regulam, discretionem præcipuam,
sermone luculentam, & præ cæteris, ut ita dicam,
directiuam. Nam Regula Basili, satis intricata,
Regula Augustini multum generalis, & ad parti-
cularia parum descendens; sed per Constitutiones
ei additas, à diuersis religionibus eius professori-
bus, austeritatibus, & ceremonijs adornata. Regu-
la Beati Francisci, breuis, & propter multa præ-
cepta, scrupulis plena. Sed Regula Sanctissimi Be-
nedicti singula queq; clare describit. Quæ etiam
ut approbata, allegatur in Decretis, Causa xvi.
quest. prima. Hanc igitur omnes Monachi occi-
dentis pro fundamento tenent, exceptis Cartusien-
sibus; sed habitibus, Constitutionibus additis, &
ceremonijs distinguuntur. Huius autem vitam scri-
psit virtutibus plenam, magnus Gregorius in se-
cundo Dialogorum per totum, quam à Discipulis
ipsius Benedicti hausit. Et ipse etiam Monachus,
& Abbas sub dicta Regula militauit, antequam
Papa fieret, Hec Antoninus. Quoniam autem, iux-
ta decretum sacri Concilij Tridentini debet Epi-
scopus, ammota omni appellacione, & non obstanti-
bus quibuscumq; componere omnes controuersias,
& lites de Præcedentia, quæ persæpe maximo cum
secularibus oriuntur inter ecclesiasticas personas, tã
seculares, quam regulares, tum in processibus
publicis

publicis, tum in ijs que fiunt in tumultandis defun-
 Etorum corporibus: ut rectius, & facilius ipse pos-
 sit Episcopus sententiam super hoc ferre: & iudi-
 care, si inter nos, & alios regulares orirentur hu-
 iusmodi controuersie; & vt sciatis (quod ad Prae-
 cedentiam attinet) quis locus nobis debeatur; non
 arbitratur Patres futurum ab re, hoc loco aperte
 demonstrare, quibus potissimū temporibus singula
 quaq; Congregationes originem, & initium habuis-
 se dicantur. Idem igitur Archiepiscopus Florenti-
 nus, describens vitas Patrum, hunc, qui sequitur,
 modum, & ordinem seruat, videlicet. Fuit vir vi-
 ta uenerabilis, gratia Benedictus, & nomine, sicuti
 etiam (inquit Gregorius secundo Dialogorum)
 ab ipso pueritia tempore suę cor gerens senile: Et
 secundum Vgonem Floriacensem, hic mortuus, est
 anno Domini Quingentesimo Trigesimo sexto. Un-
 de floruit circa annum Domini quingentesimum
 &c. Post cuius uitam, & quorundam eius discipu-
 lorum, nempe Mauri, Placidi, Odonis Abbatis
 cluniacensis, & Odilonis, ita de Diuo Romualdo
 statim subiungit, Sanctus Romualdus, qui clarus,
 & insignis habetur anno Domini millesimo, obiit
 autem circa annos Domini 1030. fundator extitit
 & institutor Ordinis Camaldulensium, dilatati, &
 ampliati in multis Monasterijs, in partibus Tusciae
 & Lombardia, & principale est in Diocesi Arre-
 tina. Huius vitam descripsit luculento sermone,
 Eloquentissimus vir Petrus Damianus Episcopus,
 & Cardinalis, quam tamen abreuiauimus &c.
 Post vitam Romualdi, Bonifacij, Iohannis, & Be-
 nedicti

S. Benedictus
 moritur anno
 536.

S. Romualdus
 moritur est
 anno 1030.

nedicti eius discipulorū, idem sic ait. Anno Domini Millesimo Quadragesimo, claruit Beatus Iohannes Gualbertus fundator, & Institutor Ordinis Vallis Umbrosa, sub regula militantis Beati Benedicti cum quibusdam constitutionibus superadditis & in habitu griseo. Quae religio multa Monasteria habet in Tuscia, & Lombardia etiam superioribus & c. Huius autem absoluta descriptione vitae, & ea etiam cuiusdam Stephani Grandemontensis, qua nullatenus facit ad rem nostram, inquit.

*S. Jo: Gualbertus
claruit anno
1040.*

Anno Domini M. X V I I. ordo humiliatorum, ut reperi inscriptis eorum, habuit primum sui initium. & paulò inferius, sumpserunt pro norma viuendi partem Regulae Beati Benedicti, non totam: Superiores eorum Praepositos nominantes. Circa verò annum Domini Millesimum Ducentimum, approbatus est talis ordo, & modus viuendi ab ecclesia, per Innocentium Tertium, & confirmatus. Anno vero Domini M. L X X X V I. (subdit idem) habuit initium ordo Cartusienus, institutore Bruno Theutonico ex vrbe Colonia. Et ordo Cisterciensium, sub regula Beati Benedicti militans, sed cum multis alijs constitutionibus additis, approbatus ab Ecclesia, & multum privilegiatus, & dilatatus per orbem, initium habuit Anno Domini M. X C V I I I. Sub quodam Stephano Abbate. Sed paulo postea mirabiliter dilatatus per orbem à Beato Bernardo. Quod autem ad ordinem eorum Monachorum, qui dicuntur Mōtis Olineti, militantium sub Regula eiusdem Dni Benedicti, attinet; licet hucusq; nullam de eo fecisset mentionem Beatus Antoninus, in

*Humiliatorum
habuit initium
anno 1017.*

*Cartusienus
anno 1006.*

*Cisterciensium
anno 1090.*

siue

*Olivætar.
anno 1370.*

fine tamen eiusdem libri incidenter sic de eis loquitur. Circa annos domini MCCC LXX. ut audiui, quibusdam religiosis, vitam quasi eremiticam tentibus, & laudabilem in Diœcesi Arretina, sed territorio Senensi, Episcopus Arretinus, tunc temporis, dedit habitum similem album, & regulam ipsius Benedicti. Ex quibus crescentibus in gratia Dei, & numero, constitutus est ordo Montis Olivætarum dictus. Parimodo manifestum est, celestinos (quos vocamus) vel Sancti Petri de Morone, qui & ipsi militant sub regula Divi Benedicti, suum habuisse initium tempore ipsius Petri Moronei, quodam Celestini Papæ Quinti, circa annos domini MCCC. His igitur sic se habentibus satis constat religionem nostram Camaldulensem post Monachos nigros, qui etiam (fortasse per antonomasiam) dicuntur Sancti Benedicti, vel congregationis Sanctæ Iustina: quæ quidem congregatio, ut Monastica religionis caput supereminet omnes; debere ceteris omnibus, sub Divi Benedicti Regula militatibus, in omnibus præferri. Quam sane rem non est qui possit iure inficiari, nisi qui sit forte rerum huiuscemodi penitus ignarus, & imperitus, dicente præsertim regula, cap. 63. Qui secunda diei hora venerit in Monasterio, iuniorem se noverit esse illo, qui prima hora diei venit. His præmissis ad ipsius regule interpretationem accedamus.

Cum igitur vir Dei Benedictus; quem omnium iustorum spiritu plenum fuisse, fatentur omnes; & cuius manum à sancto spiritu in scribendo ductam, non est qui neget: in sua regule præmio, quæ à disertioribus

fertioribus perpetuo obseruata notatur, obserua-
uerit: volunt patres (& si eorum non est intentio-
nis totam regulam interpretari) nihil quod Mo-
nachis nostrae congregationis, quoquo modo pro-
desse possit, silentio preteriri. Annuaduertens igi-
tur Diuus Pater Benedictus, duas inueniri vias,
quae secundum Domini doctrinam ad caelum ipsum
& ad aeternam perducunt beatitudinem; altera
qua laici, & seculares homines, mandata legis ser-
uando, proficiuntur; altera verò, qua religiosi, &
mandata seruando, & Christum ipsum prouiribus,
& quantum patitur, humana fragilitas, imitatio,
incedere debent; caste, sobrie, & pie viuētes in hoc
seculo; hanc normam, regulamq; viuendi tradit. Ini-
tio autem huius proemij primum quid velit agere
ostendit, quod satis per se patet, & postmodum ad
quem sua haec dirigatur oratio: ad eos nimirum qui
muniti fortissimis obedientiae armis, Christum se-
qui in sancta Religione voluerint, quos paterno
quodam affectu, sicuti Salomon in omnibus operi-
bus suis, sic alloquitur. Ausculta filij &c. quibus
verbis primum nos adhortatur vt lati accipiamus
quae praecipiturus est nobis, deinde hanc regulam,
hac praesertim ratione tradidisse ostendit, vt obe-
dientia, submissione, & humilitate, credere possi-
mus, quo ab inobedientia primi parentis nostri, &
ex consequenti nostra, fuimus deturbati, scilicet
in gratiam creatoris, & Redemptoris nostri. Quae
propter videtur admodum esse necessarium; cum
omnium sit maximum preceptum in religionibus,
ipso cunctis in rebus obedientia; vt cum aliquis
in uia-

in numero fratrum cooptādus adscribendusq; venerit, ei in primis & ante omnia liberè dicatur, & sepius repetatur, vt vel ipse se abnegaturū esse propriam voluntatem, & se ipsum arbitretur, vel quod suum est tollat, & ambulet. Quod si se obseruaturum receperit, admittatur; sin minus, non admittatur. Quatenus autem dicitur. In primis &c. est animaduertendum, quod sanctus Pater omnia nostra opera initium capere ab oratione maximopere desiderat; vt Deo annuente, omnia cooperentur in bonum. Et hinc est quod Patres volunt, vt non solum is, qui religionem ingressurus venerit, orationi tunc temporis die, noctuq; vacet, verum etiam, vt idem faciat totus conuentus Monachorum in eius gratiam, vt Deus Opt. Max. quæ sua sit hac in re voluntas, ostendere dignetur. Nam nullum bonum nisi de sursum est, & à patre luminum descendens. Præterea quæcumq; facitis (inquit Apostolus) sine in verbo, sine in opere, omnia in nomine Domini &c.

Resurgamus ergo tandem aliquādo, excitāte nos scriptura, ac dicente. Hora est iam nos de somno surgere. Et apertis oculis nostris ad deificū lumen, at tentis auribus audiamus, diuina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Et iterum. Qui habet aures audiendi, audiat quid spiritus dicat eccelsijs. Et quid dicit? Venite filij, audite me; timorem domini docebo vos. Currite dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Et quærens dominus in multitudine populi sui cui hæc clamat, operarium suum iterum dicit. Quis est homo
qui

qui vult vitam, & cupit dies videre bonos? Quod si tu audiens, respondeas: Ego, dicit tibi deus. Si vis habere veram & perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo: & labia tua ne loquantur dolum: diuerte a malo, & fac bonum: inquire pacem, & sequere eam. Et cum hæc feceritis, oculi mei super vos: & aures meæ ad preces vestras: & antequam me inuocetis, dicam, Ecce adsum. Quid dulcius nobis hac voce domini, inuitantis nos, fratres charissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis dominus viam vitæ.

HAC secunda parte proæmii cōuertens orationem suam Pater sanctus ad eos, qui affliti spiritu sancto vocantur ad religionem, ostendit eis, posteaq; sunt vocati a domino, iam esse horam de somno surgere ad recipiendam gratiam, & respiciendum deificū lumen, quod illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum; & ad audiendam vocem sermonis eius, cui nemo debet cor suum obdurare, neq; spiritui, qui loquitur in eo, resistere. Immo potius totis viribus currendum, dum lumen gratiæ Dei ardens in cordibus nostris, nobis iter ostēdit, quo ducimur ad vitā. Ne forte nos tenebræ mortis, adhuc improuisos & imparatos cōprehendant. Sed quibus verbis nos vocat dominus? Hs nimirum. Quis est homo, qui vult vitā, & cupit dies videre bonos? quod si tu audiens dixeris. Ego domine. Respondet ipse, prohibe linguam tuam a malo, neq; in prosperis, neq; in aduersis blasphemando, nec murmurando de aliquo, & labia tua non loquantur dolum, neq; fraudem contra proximum, sed sis verax in verbis, & pro

missis seruandis: Diuerte a malo, idest vita, & fuge omne malum, seruando precepta negatiua; & fac bonum, seruando affirmatiua. Et similiter inquire pacem, & sequere eam. Non enim satis est declinare à malo, nisi & faciamus quod bonū est, ad vtrumq; enim tenemur. Nam dum declaratur Math. 7. præceptum de dilectione proximi. *Quæcumq; vultis vt faciant voqis homines, & vos facite illis, in isto affirmatiuo intelligitur & negatiuū. idest & quod nō vultis vt faciant vobis homines, non faciatis illis. Et vt antiquitus dicebatur, Quod tibi non vis, alteri ne facias. hoc enim est declinare à malo, & facere bonum; & inquire, & conseruare pacem. Qui enim proximum pro viribus iniurare conatur & nemini iniuriam irrogare, is profectò vitam turè ac pacifice traducet. Debemus igitur non modo declinare à malo, sed & facere bonum.*

Succinctis ergo fide vel obseruãtia bonorū actuū lūbis nostris, & calciatis in præparatione euangelij pacis pedibus, pergamus itinera eius: vt mereamur eum qui nos vocauit, in regno suo videre. In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus currendo minime peruenitur. Sed interroge mus cum propheta dominum, dicentes. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo: aut quis requiescet in monte sancto tuo? Post hãc interrogationem fratres, audiamus dominum respondentem, & ostendentem nobis viam ipsius tabernaculī. dicentem. *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolium in lingua sua: Qui non fecit proximo suo malum; & opprobrium non accepit aduersus proximum suum. Qui mali-*

malignum diabolum aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasionem suam a conspectibus cordis sui respiciens, deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit, & allisit ad Christum.

CVM quis igitur in sanctam religionem, per obedientiam portam, intrare, aures dominice uocationi non obturare, & pro viribus declinare a malo, & facere bonum, sibi proposuerit: tunc, succinctis cingulo fidei lumbis, & obseruatione bonorum actuum (quia fides sine operibus mortua est) per iter, quod vitam uiuendo Monasticam, & sanctam, habetur in clausuris Monasteriorum, se tanta profectio securus accingat. Verum quoniam non satis est iter agentibus sibi praecingere lumbos, ut facilius, & expeditius (velut gigas ad currendam viam) incedere possint; nisi etiam pedes preparatione Euangelij pacis calciauerint: ideo ne labantur, & ne fortasse media uia deficiant, & cadant; studeant totis uiribus, ne ab ipso tramite, quem nobis Euangelium pacis praeparauit, ullo pacto declinent: ne ne extra illum, uel digitulum pedis ponant. Ut mereantur, peracto feliciter itinere, illum qui eos uocauit, in suo regno uidere, ad quod nisi bonis actibus, & sanctis operibus currendo, minime peruenitur. currendo inquam per eam viam, quam nobis post nostram interrogationem, dominus ostendit dicens. Qui ingreditur sine macula &c. Sed quomodo sine macula omnes aequae hanc unam viam (quae tandem non aberrantes ad ingressum usque paradisi perducit) ingredimur: cum non nulli, non nisi post mul-

ta admissa facinora, tantum abest ut sine macula, in religionibus adscribantur? Cui obiectioni respondetur, quod sine macula ingreditur quisquis suorum penitentia ductus peccatorum, resurgit tandem, & quod sibi reliquum est uitæ, Deo optimo uouit. neq; tamen prius ingreditur quam sua omnia peccata Deo, & sacerdoti cōfessus fuerit, & corde ingemuerit, scriptū est enim in Ezechiele. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea; & fecerit iudicium, & iustitiam, uita uiuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor. Ecce igitur quomodo quis hanc uiam sine macula innocēs ingredi possit. Subnectam etiam perapposite, quod Prælati nostræ congregationis possunt, uigore priuilegiorum Leonis X. eam ingredientes, non modo à peccatis absolueret & ab omni excommunicatione; uerum etiam super omni uoto; excepto religionis, ut ibi, dispensare. Postq; ergo aliquis succinētis lumbis, & calciatis pedibus, ut supra, aggressus fuerit iter, & collum suauis iugo domini supposuerit, operetur, ambulando iustitiam, quæ unicuiq; quod suum est, tribuit: loquatur ueritatem in corde suo, non agat lingua dolum, non faciat proximo suo malum: non accipiat opprobrium aduersus proximos suos, & tandem malignum diabolum, aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasionem suam à conspectu cordis sui, ieiunijs, & orationibus respuat, ad nihilum deducat, & paruulos ac debiles cogitatus eius teneat, & allidat ad petram

*tram Christum . Et sic post huius uitæ cursum ad
cælestem illam Hierusalem , in qua Rex regum
stellato sedet solio , Deo inuante perductus , habita-
bit in sancto tabernaculo domini , & in æternum
requiescet in Monte sancto eius .*

Qui timent dominum de bona seruantia sua non
se reddunt elatos ; sed ipsa in se bona non
a se posse , sed a domino fieri existimantes , operantem
in se dominum magnificat , illud , cum propheta dicen-
tes . Non nobis domine non nobis , sed nomini tuo da
gloriam . Sicut nec Paulus Apostolus de prædicatio-
ne sua sibi aliquid imputauit dicens . Gratia dei sum
id quod sum . Et iterum ipse dicit , Qui gloriatur , in
domino gloriatur . Vnde , & dominus in euangelio
ait . Qui audit verba mea hæc , & facit ea similabo
cum viro sapienti , qui ædificauit domum supra petra .
Venerunt flumina , flauerunt venti , & inpegerunt in
domum illam , & non cecidit , quia fundata erat supra
petram . Hæc complens dominus , expectat quotidie ,
his suis sanctis monitis , factis nos respondere debere .
Ideo nobis propter emendationem malorum huius
vitæ dies ad iudicias relaxantur , dicente Apostolo .

An nescis quia patientia dei ad pœnitentiam te addu-
cit ? Nam pius dominus dicit . Nolo mortem peccato-
ris sed vt magis conuertatur , & viuat . Cum ergo in-
terrogassemus dominum , fratres , de habitatore taber-
naculi eius , audiimus habitandi præceptum . Sed si
compleamus habitatoris officium , erimus heredes re-
gni cælorum .

Quoniam sæpenumero uirtutum solet & bo-
norum actuum comes esse superbia & ani-
mi elatio : & quia etiam antiquus ille serpens , per-
petuus humani generis hostis , diabolus nunquam
desinit eis , quos obedientia , castitate , morum pro-

bitate, uitae sanctimonia, doctrina, ceterisq; uirtu-
 tibus plurimum pollere conspexerit, parare insi-
 dias: ut cum in alijs ipsos superare nequiuerit red-
 dat eos saltem elatione, & arrogantia Deo ingra-
 tos, contumaces, & criminosos; consentaneum ui-
 sum est Diuo Benedicto suos Monachos praemone-
 re ne posteaq; toto tempore uitae in uigilijs, oratio-
 nibus, & abstinentijs, rectas facere semitas domi-
 ni, elaborauerint tandem in abominabile scelus
 elationis incidat. Quod pulcherrimum lucis An-
 gelu adimam usq; tartarea regna perduxit. Inquit
 igitur ipse sanctus pater. Qui timet dominum de
 bona seruantia sua non se reddant elatos sed &c.
 Superbia (inquit Aug.) gloriam de caelis deiecit
 angelicam: & humilitas ad celos ascendere fecit
 infirmitatem humanam. O fratres, subdit, caute
 ne orantes, uel legentes, uel stantes, uel sedentes
 uel uigilantes dicatis ore, uel corde (habitantes
 in cinere, et cilicio) cu phariseo, Gratias tibi ago
 domine, quia non sum sicut ceteri homines. Hoc. n.
 solitariam uitam ducentes, diabolo instigante,
 saepe contingit ut frequenter aggredi ac dicere te-
 tentur ab inimico seruorum Dei. potius uolo nos
 Eremum exire quam talia dicere, uel cogitare.
 Sed dum tentamini hoc asserere, uel de uobis ipsis
 cogitare, mox clamate, mox ululate, & dicite
 cum propheta: Ego sum uermis, & non homo, op-
 probrium hominum, & abiectio plebis. Ita enim
 fecisse, & dixisse quot quot fuerunt sancti caenobi-
 ta, omnes uno ore fatentur. Et re uera omnes qui
 audiunt, & faciunt uerbum dei, & nihilominus
 ponunt

ponunt Deum adiutorem suum, nullatenus sperantes in multitudine diuitiarum, & uirium suarum, nec praevalentes in uanitate sua; uisunt, qui ita edificauerunt, & fundauerunt domum suam, & bona opera sua supra petram, ut nec fluminibus cogitationum, nec uento spiritus elationis ullo unquam tempore possint euelli. Et ideo sanctus Pater Romualdus ad euitandam propriam laudem, & ludum finxit, & socios quesuit. Quo autem modo fugare possimus a nobis ipsum spiritum elationis, & superbię, docuit nos D. Benedictus dum dixit superbięti monacho. Signa cor tuum frater; quid est quod loqueris? signa cor tuum. Cum igitur nihil boni a nobis ipsis facere possimus a domino fieri existimemus, & ipsum solum magnificemus, qui omnia bona fieri precipit ad suam, non ad nostram gloriam. Ut eam mercedem, quam nemo alius prestare potest, ab ipso recipere mereamur, Reliquum autem huius partis proemii satis per se clarum, & manifestum esse uidetur, cum sciamus omnes hec omnia a nobis potius opere, & facto prestanda, & adimplenda quam uerbis, dum ipse patientia sua nos ad penitentiam expectat, & adducit, dicente Apostolo. Estote factores uerbi, non auditores tantum, & sic complebimus hoc iter agentis officium in hac uita, & tandem erimus cum ipso heredes regni caelorum.

Ergo preparanda sunt corda nostra & corpora sanctę preceptorum obedientię militatura, & quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus dominum, ut gratię suę iubeat nobis adiutorium ministra

ri. Et si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam volumus peruenire perpetuam, dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus, & hæc omnia per hanc lucis vitam vacat implere, currendum, & agendum est modo, quod in perpetuum nobis expediat. Constituenda est ergo a nobis dominici schola seruitij. In qua institutione nihil asperum, nihilq; graue nos constituturos speramus. Sed & siquid paululum restrictius dictante æquitate ratione propter emendationem vitiorum, vel cōseruationem, charitatis, processerit, non ilico pauore perteritus refugas viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu vero conuersationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei, vt ab ipsius nunquam magisterio discedentes, in eius doctrina vsque ad mortem in monasterio perseverantes, passionibus Christi, per patientiam, participemus, et regni eius mereamur esse consortes. Amen.

Cum ea, quæ hac postrema parte progymij cōtinentur, nulla, aut modica declaratione indigent satis superq; erit dixisse, quod pductis Monachis in sanctam religionem, & viam, quæ ducit ad altissimi tabernaculum, nihil aliud superest, nisi vt preparemus corda, & corpora nostra ad mandatorum obedientiam: Corda, quoniam non quid, sed qua intentione, corde, & animo operemur, respicit Deus: Corpora, quoniã non nisi auxiliãt e ipso, corpora nostrã, & anima opus suum perficere possunt. Ceterum si aque corpus, ac anima rationalis, quæ ambo hominem constituunt, ab vno eodemq; domino procreantur; & ipsa caro quandoq; futura est immortalis, non ne æquum est & rationabile, vt & ipsum, erga Deum, creatorem, & redemptorem suum

suum, suo fungatur officio, & aliquam exhibeat
seruitutem? & ambo simul dum hac vita vacat,
quod nobis imperpetuum expediat, operentur?
Verum quoniam longe minus habet in nobis na-
tura possibile, quam quod opus est ad nostram salu-
tem, & ad rationabile Deo præstādum obsequiū;
monet sanctus Pater, rogemus dominum, vt gra-
tia suæ iubeat nobis adiutorium ministrari; si mo-
do gehenna pœnas fugere, & ad vitam optamus
peruenire perpetuam, & ita pro viribus huc vsq;
demonstrauimus, qua fuerit intentio Pij nostri le-
gislatoris in hoc præmio Regule; per quam, sicut
lam, vt ipse ait, & confraternitatem quandam,
ordinauit seruis domini: in qua nihil profecto
grauæ, nil asperum ijs videbitur consti-
tuisse, qui nouerint, pro paruis ma-
gna, pro terrenis cœlestia &
pro temporalibus sem-
piterna esse rece-
pturos.

DE GENERIBVS, VEL
VITA MONACHORVM.

CAPITVLVM I.

Monachorum quatuor genera esse manifestum est. Primum cœnobitarum, hoc est monasteriale, militans sub regula, vel abbate. Deinde secundum genus est anachoritarum, id est eremitarum, Horum qui non conuersionis, seruire nouitio, sed monasterij probatione diturnata, didicerunt contra diabolum, multorum solatio iam docti, pugnare, & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt. Tertium vero monachorum teterrimum genus est sarabaitarum, qui nulla regula approbati, experientia magistra sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram, noscuntur. Qui bini aut terni, aut certe singuli sine pastore, non dominicis, sed suis inclusi oculibus, & pro lege eis desiderio rum voluptas, cum quicquid putauerint, vel elegerint hoc dicunt sanctum, & quod noluerint, hoc putant nō licere. Quartum vero genus est monachorū, quod nominatur Gyronagum. Qui tota vita sua per diuersas prouincias, ternis aut quaternis diebus, per diuersorū cellas hospitantur, semper vagi, & nunquam stabiles, & proprijs voluptatibus, & gulæ illecebris seruietes, & per omnia deteriores sarabaitis. De quorū omniū miserima conuersatione, melius est silere quam loqui. His ergo omisis, ad cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuante domino veniamus.

C*Um post multos alios summos Pont. LEO
X. concesserit capitulo, & definitionibus no
stra*

stra congregationis liberam, ac plenam auctori-
tatem, & facultatem Regulam interpretandi, Di-
uinum officium ordinandi; statuta, & constitutio-
nes formandi, & prius factas in toto, vel in parte
(prout rerum, vel temporum qualitas exigit) tol-
lendi, alterandi, & in melius commutandi, absq;
tamen ipsius regule in substantia, vel effectu va-
riatione. Ipsi Reuerendi Patres, de mandato etiã
& commissione, vt supra Sanctissimi Domini no-
stri Domini Pij Papae Quinti, pro moribus refor-
mandis, & pro tuenda, & conseruanda pace, cha-
ritate, & vnione nostrae congregationis; non mo-
do fecerunt infrascriptas declarationes, & con-
stitutiones, verũ etiam omnes alias, quae retroa-
ctis temporibus, quocumq; modo factae fuissent, ir-
ritas, & cassas in omnibus, & per omnia esse vol-
uerunt: saluis tamen infrascriptis à Sancta Se-
de Apostolica confirmatis, & alijs, de quibus in-
fra suo loco dicemus. In primis igitur, cum istud
verbum MONACHVS, quod Latine interpræ-
tatur solitarius, sit nomen generale, sub se diuer-
sa Monachorum genera continens, non ab re esse
futurum duxit Sanctus Pater de quolibet eorum
facere verba, & cui nam ipsorum hanc suam re-
gulam, & viuendi normam traderet, demonstra-
re. Quam sane rem considerantes ipsi patres su-
per vno quoq; genere (præterquam canobitarum
nostræ ordinis, pro quorum institutione vitæ, ea
omnia quae hoc libro habentur, & continentur
scripta, & constituta fuere) quadam consideran-
da, & statuenda duxerunt. Quod igitur ad Ere-
mitas

mitas nostros Camaldulenses, veteres constitutio-
 nes innouando, & LEONIS X. privilegij in-
 herendo Priorem ipsius Eremiti, omnibus in locis
 congregationis nostrae debere, post Generalem su-
 pra omnes alios Abbates, & Priores (praeterquam
 super eum, in cuius esset Monasterio) locum habere
 statuerunt, propter loci illius dignitatem, qui &
 principium fuit, & in praesentiarum est totius no-
 strae congregationis caput. Similiter ordinaue-
 runt, & ita fieri praeeperunt, ut eiusdem loci Ere-
 mita semper habeant locum (posthabita omni ratio-
 ne, & respectu professionis) supra omnes canobitas
 nostros, cum quibus essent, quod ad sacros ordi-
 nes, in pari gradu. Immo uolunt, etiam ipsius Fō-
 tistoni, siue Camalduli subpriorem, & Camera-
 rium, in choro post praelatos immediate, & in
 Refectorio mensa ipsa Praelati ab omnibus hono-
 rari.

Quod ad tertium Monachorum genus, quod
 dicitur Sarabaitarum, ut in omnibus, quam maxi-
 me fieri potest, ipsorum uitam, & mores, ueluti
 quandam pestem, euitemus: decreuerunt, ut in
 posterum nullum aliquod constituatur Monaste-
 rium, cui praesit Abbas, uel Prior, tamquam loco prin-
 cipali: cuius non ualeant redditus & proventus
 duodecim Monachos ad minus ita sustentare, &
 de facto sustentent, ut inibi disciplina regularis,
 & Monastica obseruantia commode fieri, & ser-
 uari possit. Et re uera parua quaedam Monaste-
 ria, in quibus non potest, propter paucitatem pro-
 uentuum, & consequenter Monachorum, fieri uti
 decet

debet, obseruantia, fucce semper, & post hac erūt
 uniuersa corruptionis Monastica potissima cau-
 sa, & totius regularis disciplina destructio.

Nullo igitur pacto permittant Generales, atq;
 Disinitores, in quorum manibus infuturum erit re-
 gimen nostræ congregationis Camal. ut de nouo
 erigantur, siue recipiantur huiusmodi parua Mo-
 nasteria, & si qua in præsentia sunt, aut omnimo-
 do prouideatur, ut in eis duodecim Monachi com-
 morari possint, aut uiciniorebus similibus unian-
 tur; ita ut ex duobus fiat unum tantummodo Mo-
 nasteriū, in quo (uti dicit Monachos) ita uiuatur
 ut rationale nostræ seruitutis Deo præsetur ob-
 sequium, & regularis obseruantia omnino conser-
 uetur. Quod si fiet (fiet autem auxiliante Domi-
 no) nihil comune habebimus cū ipsis Sarabaitis.

Quod uero ad ea loca attinet, quæ hodie non
 sunt uere Monasteria, neq; Abbatiæ, licet alias
 fortasse fuerint, & huiusmodi alia, quæ dicuntur,
 & sunt ueluti membra alicuius principalis Mo-
 nasterij, Præcipiunt Patres, ut in eis non minus,
 quam duo Monachi teneantur, qui prælato prin-
 cipalis loci in omnibus obediant, & ita subsint, ut
 ab eo alter, uel ambo ad eius arbitrium mutari
 possint, & ammoueri. Quod si fieri non possit
 propter huiusmodi locorum paruos redditus, &
 fructus; aut procuretur ut omnis cura animarū,
 si imminet, ammoueatur, aut per præbiteros se-
 culares exerceatur. Et breuiter Monachis nostræ
 congregationis, nullo pacto permittatur, ut quo-
 uis loco soli, & absq; alio sociante Monacho, per-

manere possint. Et ita nostri effugient canobitæ omnem similitudinem quam habere possent cum abominabili genere Sarabitarum, quod pluribus in locis & Aug. & Hieronimus mirum in modum damnare, & uituperare conantur.

Quod ad quartum genus, idest Girouagorum (ut aiunt) quoniam fieri facillime posset, nisi prouideretur, ut nostri canobitæ ipsis, per regularis disciplina inobseruantiam, presertim extra clausuram circumuagando, persimiles euaderent; Ideo ipsi Reuerendi Patres, ut omnem conuenientiam, & similitudinem, quam cum ipsis Girouagis habere possent, effugiant; in primis constituerunt, ut nullo pacto audeant Prælati, & eorum cõuentuales, ad capitulum profecturi, e proprijs Monasterijs ad hoc discedere, nisi tot dies ante, quot ad perueniendum euntibus recto tramite, locum capitulo celebrando destinatum, sufficere commode possint. Dummodo illuc perueniant sexta feria que præcedit diem Dominicam, in qua ipsum Capitulum incipit celebrari. Quod si quis Prælatus, uel Monachus, aliquò, ex recta uia diuertendo, aliter egerit; in ipso immediate subsequenti capitulo, & diffinitorum electione, careat uoce actiua, & passiua. Similiter teneatur quilibet eorũ, absoluto Capitulo, quamcitissime, recto tramite, ad propria remeare, & contrasacientes, absq; licentia Generalis, grauiter puniatur, uidelicet Prælatus sequenti proximo capitulo intelligatur, & sit priuatus pro ea uice tantum, actiua uoce, & passiua; & Monachus non possit eodem sequenti anno, eligi conuentua-

*nērualis. Sicuti enim nulla alia res magis seruat,
 & auget Monasticam dignitatem, quam uidere
 Monachos intra septa Monasterij perpetuo com-
 morari: ita nulla alia magis eam uidetur minue-
 re, atq; destruere, quam inutilis, & omnino super-
 flua uagatio extra ipsum. Monachis, qui tempore
 capituli, uel alias ab uno Monasterio ad aliud trā-
 smittētur, nō liceat nisi magna necessitate, in eodē
 loco, a quo discessuri sunt, diutius permanere, aut
 moram trahere, quam per tres dies, a quo eis hu-
 iusmodi permutatio fuerit denunciata, & collata
 prouiso, qua semet, & sua inde ad Monasterium,
 ad quōd perrexerint trāsportare queant; idq; sub
 pœna amissionis uocis tam actiue, quam passiuę
 per annum. Qui quidem Monachi, ut etiam dispo-
 nitur in antiquis nostris cōstitutionibus; immo, &
 Prælati omnes teneantur; cum eis ex uno ad aliud
 Monasterium transmigrare contigerit, sub graui-
 ori pœna, arbitrio Reuerendiss. Generalis, & Visita-
 torum imponenda: ea omnia palam facere, & si-
 gillatim ostēdere, quę secum transportare, uel trā-
 sportari fatere uoluerint; monachi prælato do-
 mus, e qua sūt discessuri, uel eius uicem gerētibus,
 & prælati similiter successori suo, uel senioribus
 Monasterij. Nullus neq; prælatus, neq; priua-
 tus Monachus possit patriam, aut parētes inuise-
 re in locis distantibus, & ubi nō sint Monasteria
 nostri ordinis, nisi de licentia patrum Diffinitorum,
 uel in aliquo casu Reuerendissimi Patris Genera-
 lis, aut Vicarij in prouincia existentis. Et qui hac
 facultate sibi facta, inuenerint, non nisi decem dierum
 spatio*

spatio ad summum, ibi manere possint : cum inde-
 cens sit, & uituperatione dignum, Monachos in
 domibus laicorum commorari: & Prælati qui cō-
 tra hoc egerint, cuiuslibet dignitatis priuationi
 subiaceant, Monachi uerò ad arbitrium diffinito-
 rum, uel Generalis, aut Vicarij, iuxta qualitatem
 transgressionis, puniantur. Quod uero ad eos, in
 quorum patria sunt Monasteria ordinis, possit eis
 Reuerendis. Generalis præbere licentiam patriam
 ipsam, ac parentes inuisendi. Dummodo ad Mo-
 nasteria nostra primo se conferant, & in eisdem
 semper cōmedant, & pernoctentur. quod si quis
 in domibus secularium, quauis occasione; præfer-
 tim ijs diebus, quibus laici uestri solent carnibus,
 prandere, cenare, aut alio quouis modo comede-
 re, aut etiam pernoctari ausus fuerit, grauiori pæ-
 na a patre Generali, & Visitoribus puniatur.
 Et hanc licentiam, quam diximus parentes inuisē-
 di, posse dari in toto ordine ab ipso Generali, uo-
 lunt patres ut possit etiam tribuere quilibet Pro-
 uincialis Vicarius in sua Prouincia, & omnis Ab-
 bas, seu prælatus in sua iurisdictione, ut puta Vi-
 carius Flaminie ad omnem locum illius prouin-
 ciæ suos potest Monachos licentiare: & Ab-
 bas Rosæ Senarum per omnia sua loca, quæ sunt
 in territorio Senensium, & sic de singulis. At
 uero Prælati, quorum iurisdictione ob arctitudi-
 nem loci, in quo morantur, parua est, & exi-
 gua, sicuti est Prioris Sanctæ Mariæ & Bene-
 dicti de Vertilio, Abbatis Vrani, & aliorum
 huiusmodi, possint suis Monachis licentiam dare
 eundi

eundi extra Monasterium ad decem miliaria, hac tamen lege, vt nusquam extra domos ordinis, nisi magna cogente necessitate, noctem vel vnam transigant in secularium domibus. Prælati vero ipsi quocumq; voluerint ire possunt, dummodo suarum prouinciarum terminos sine licentia nisi maxima urgente necessitate non egrediantur. Camerarios itidē, sine cellerarios, & procuratores, ob negotia Monasterij, idē prælati quotiescumq; opus fuerit, quouis mittere valeant. At tamen scire debemus, quod quanto minus, vel ipsi prælati vagabuntur, vel alios vagari permisserint extra Monasteria, tantomagis maledicentium linguas, scandala, & pericula omnia vitabunt. Ii verò, qui de licentia suorum prælatorum limites Monasterij, intra tamen iurisdictionem ipsorum, visendorum parentum gratia prodibunt, non valeant, vbi non sunt Monasteria, aut Hospitia ordinis, vltra tres dies manere: si vero ibi fuerint domus ordinis, poterunt ad beneplacitum prælati manere, infra tamen numerum decem dierum. Et ne iterum nobis redeundum sit ad loquendum de auctoritate vicariorum, prouinciarum, sanxerūt idem supremi Patres, illos, absente Reuerendissimo Generali, eandem in prouincia habere auctoritatem supra Monachos, quam habet ipsemet Generalis in toto ordine, super omnes. Atq; ipso præsentem in prouincia, vicarius illius omni tali auctoritate priuari. Verum quia parum esset extra ciuitates, & oppida non vagari, si etiam superflui discursus, per vrbes ipsas non tollerentur, decre-

uerunt ipsi summi Patres, quod non solum Monachi non egrediantur septa Monasterij absq; licentia, & benedictione, alioquin, vt fugitini grauissime puniantur; sed etiã vetuerunt ne prælati facultatem talem egrediendi facere possint, nisi Priori, Suppriori, Magistro Nouitiorum, Cameraario, & Procuratori. Quibus tamen alium Monachum comitem dare valeant secundum quod eis visum fuerit. In aliquo tamen necessitatis casu possit Abbas quem voluerit, quo voluerit, & quibuscum voluerit mittere. Illud nihil minus semper præ oculis habeat, quod quãto minus Monachi videbuntur per ciuitatem vagari, tãto ipse commendabilior erit, & ydem Monachi in maiori precio, & æstimatione ab omnibus habebuntur, & veræ claustralis obseruantie amatores censebuntur, eruntq; . Prælati vero contrafacientes huic sanctæ constitutioni, iudicentur, si ita res exigere videbitur, omni prælacionis officio indigni; & qui alijs præsint, minus idonei. Conuersi vero ob necessitates Monasterij possint à Prælato soli transmitti, nisi forte iuuenes sint, aut suspecti. Similiter à Monasterijs nostris, quæ sunt extra vrbes, nullus Monachus neq; etiam Camerarius, & Procurator solus mitti possit ad ciuitatem, seu oppidum & castrum pedester, sed vel conuersus mittatur, vel Monachus equester. Quando itidẽ e dictis locis necessitas est pergendi ad ciuitatem processionum gratia, aut alia quacumq; causa simili, sub pœnis grauissimis non permittat Abbas vel Prior Monachos turmatim, sparsim, & sine ordine

ordine aliquo proficisci: sed ipse cum ijs post crucem, ordinate pergat, nec loquantur inter eundem cum laicis, nec ipsi inter se, nisi forte submissa voce, de ijs, que ad Deum, & ad salutem animarum attinent. Quinimo ea incedant modestia, qua bene morigeratos ac sanctos Monachos decet incedere. Et hoc pacto, quantum attinet ad huius primi capituli dispositionem, euitabitur omnis similitudo, & conuenientia, qua haberi possit cum Girouagis.

QUALIS DEBEAT ESSE ABBAS.

CAP. II.

Abbas qui præesse dignus est monasterio, semper Anemnisse debet quod dicitur, & nomen maioris, factis implere. Christi enim agere vices in monasterio creditur, quando ipsius vocatur prenomine, dicente Apostolo, Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba pater. Ideoque Abbas nihil extra præceptum domini (quod absit) debet docere aut constituere, aut iubere. Sed iusto eius, vel doctrina, fermento diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergatur. Memor sit semper Abbas quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ vtriusque rei in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio. Sciaturq; Abbas culpæ pastoris incumbere quicquid in oribus pater familias utilitatis minus potuerit inuenire. Tantum iterum liber erit, ut (si inquieto, vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita) pastor earum in iudicio domini absolutus, dicat cum propheta domino, Iustitiam tuam non abscondi in cor

de meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi, ipsi autem contemnentes spreverunt me. Et tuhe deum inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit, eis prævalens ipsa mors.

Vlr certe vitæ venerabilis, gratia Benedic-
 tius, & nomine, postquam locutus est de di-
 titis quatuor generibus Monachorum, sciens in-
 tegratatem præsentium, salutem esse subditorum;
 nec non male regi eas familias, & oves, quæ bo-
 nis careant patribus, atq; pastoribus: & in illis
 domibus nullam esse disciplinam, in quibus unicui
 que pro sua voluntate, & arbitrio licet vivere;
 quin potius luxuriari, & lasciuire: ideo ab ijs,
 qui Monasterijs, & Monachis præsumunt, initium
 suæ Regule censuit esse sumendum. Quoniam an-
 tem in tractando de qualitatibus Abbatum, ita
 copiose quod voluit, & quod fuit altæ menti diui-
 nitus inspiratum, scriptis suis impleuit, atq; adeo
 recte perfecit, ut nihil huic capitulo addi, minui-
 ne posse videatur; ideo ipsi R. Patres, Præsides,
 & Diffinitores, ante omnia præcipiunt omnibus,
 & singulis Abbatibus, & Prioribus, non titula-
 ribus, ut aiunt, sed regimen habentibus, ut saltem
 semel in mense ipsum Regule capitulum, cui titu-
 lus est. Qualis debeat esse Abbas, attentissime le-
 gant; ut vel inuiti meminerint, quæ sui sint officij
 partes; & ut attendentes sibi commisso gregi, vigi-
 lent, in omnibus laborent, & suum ministerium
 impleant. Abbas præterea meminisse debet quod
 is nomine esse dicitur, videlicet, Monachis esse Pa-
 trem, non dominum; & ideo debere eos paterno
 affectu

affectu, & caritate, vt vere filios in domino amare; & non super eos tyrannidem quodammodo exereeres; & ita factis nomen, quod habet maioris & patris implere. Idem meminerint se in Monasterio eius agere vices, qui non venit ministrari, sed ministrare. Et licet Abbas in docendo, constituendo, & iubendo maximam auctoritatem habere videatur, sciat tamen se nihil debere extra præceptum domini docere, constituere, & iubere. Qui quidem dominus, non modo semper damnauit eos qui dicunt, & non faciunt, & qui in humeras hominum onera importabilia imponentes, nolunt ea vel digito mouere; verum etiam venit ipse, non legem soluere, sed adimplere; nec voluntatem suã, sed eius à quo missus fuerat, facere. Memor sit etiam Abbas faciendam esse in iudicio discussionem suę doctrinę, & suorum obediētia discipulorum. Sed quomodo doctrinæ suę si non docuerit, vel si nõ id operam dederit atq; studuerit, vt alios doceret? Quomodo discipulorum obediētia, si nescierit, quę sunt secundum legem domini, iubere subditis? Studeant itaq; , ac discant totis viribus Abbates, & Priores, non scientiam huiusmundi, quę apud Deum stultitia est, præ manibus semper habere, sed ipsam domini legem immaculatam animas conuertentem præcipere, & fidele testimonium Dei, sapientiam paruulis, & humilibus præstans perficiendum quotidie mandare, ac tradere. Ceterum si Abbatis culpæ eēt tribuendum, quicquid minus vtilitatis paterfamilias, nõ pe dominus Deus nosler, ex suis ouibus acceperit;

quibus pœnis illos esse puniendos arbitramur, qui greges sibi commissos, mercenariorum more (ne dicam perdunt, & maculant) deserunt, & ouium suarum custodia minime incumbunt? cum sit certissimum, secundum regulã quæ habetur in Decretalibus, non admitti pastoris excusationem, si lupus oues comedit, & pastor ignorasse se dicat, ac certe nesciat. Bonus enim pastor animam suã ponit pro ouibus suis; tantum abest, ut ouili derelicto curam gregis vllò vnquam tempore negligere possit.

CUm ergo aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est, omnia bona, & sancta factis amplius quam verbis ostendere, vt capacibus discipulis mandata domini verbis proponat, duris vero corde & simplicioribus, factis diuina præcepta demonstret. Omnia vero, quæ discipulos docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda, ne alijs prædicans ipse reprobis inueniatur, ne quando illi dicat Deus peccanti. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentũ meum per os tuũ? Tu vero odisti disciplinã, & proiecisti sermones meos post te. Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti. Non ab eo persona in monasterio discernatur. Non vnus plus ametur, quam alius, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia inuenit meliorem. Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi aliqua rationabilis causa existat. Quod si ita iustitia distante. Abbati visum fuerit, de cuiuslibet ordine id faciat, sin aliter propria teneant loca. Quia siue seruus, siue liber, omnes in Christo vnum sumus, & sub vno domino æqualem seruitutis militiam baiulamus. Quia non est apud Deum personarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipsũ
discer-

discernimur, si meliores aliis, in operibus bonis, & humiles inueniamur.

Abbas, qui duplici doctrina præesse, secundum regulam, uolet suis discipulis; sciens magis mouere exempla, quam uerba: sit quantum humana fragilitas patitur, domini nostri imitator; qui non tantum fecit, sed fecit simul, & docuit; imo cepit prius facere, & postea docere. Ea enim est efficacissima doctrina, quæ doctoris operibus, moribus, & uita comprobatur. Doctrina igitur, & scientia Abbas faciat satis prudentioribus suo ipsius uerbo madata præcepta; dominica proponendo: duris autem corde, simplicioribusque; & imperitis, diuina eis præcepta factis, atque operibus demonstrando. Qui cupiunt Abbates, & Priores, ut sui fratres, & discipuli præsto sint diuinis horis die nocteque; ut priuatis orationibus insistent, assidueque in Dei laudes incumbant, ut sæpius confiteantur, & Eucharistiæ Sacramentum sumant, uel missæ sacrificium peragant; ut ieiunent, nec continue uagetur, sed cella insideant, & comorentur: ut sint casti, sobrii, obediētes, pauperes spiritu, & humiles, et tandem (ut ipsis ut ait uerbis sacri Concilii Tridentini) non uixosi, uitiosi, impudici, cupidi, elati, detractores, maledici, uerboſi, & uoluptatū amatores: uitia demum fugiant, & uirtutes amplectantur, sicut decet monachos; qui (inquam) Abbates cupiunt, ut hæc, & alia huiusmodi à suis fratribus, filiis & discipulis omni modo obseruentur, ipsi, ipsi certè qui duces sunt, & custodes in primis impleant, faciant, & obseruent. Tumultuarij enim

et gregarij milites tum demum acriter, fortiterq; pugnare perspiciuntur, nec ullum, vel horrendum timere mortis genus, cum centuriones, praefectos, tribunos vident in primis cornibus hostium iacula negligere, repellere gladios, insultare periculis, & insam denique mortem irridere. Vbi dicitur. Non proponatur &c. dicemus infra quomodo & qua rationabili causa volunt patres quod possit Abbas, quem in bonis actibus, & obedientia inuenerit meliorem alijs praepone. Vbi dicitur. De cuiuslibet ordine id faciat &c. Volunt huiusmodi verba ita intelligi, ut omni posthabito respectu nobilitatis, tam ille, qui est humili loco natus, quam nobilis: tam pauper, quam qui diues, & tam seruus, quam ingenuus possit ratione honorum actuum, virtutum, obedientiae, humilitatis, & scientiae, ceteris anteponi, & ad altiora promoueri.

ERgo aequalis sit omnibus ab eo charitas, vna praebeatur omnibus secundum merita disciplina. In doctrina namque sua abbas Apostolicam debet illam semper formam seruare, qua dicit, argue, obsecra, increpa, id est miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum, id est in disciplinatos, & inquietos debet durius arguere, obediētes autem, & mites, & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare. Negligentes autē & contemnentēs, ut increpet & corripiat admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox ut coeperint oriri radicitus ea (ut praeualet) amputet, memor periculi Hely sacerdotis de Sylo. Et honestiores quidem, atque intelligibiles animos prima vel secunda admonitione verbis corripiat, improbos autem

autem, & duros, ac superbos, vel inobedientes verberum vel corporis castigatione, in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum. Stultus verbis non corrigitur. Et iterum, percutite filium tuum virga, & liberabis animam eius a morte.

A Equalis, idest iustus. Iustitia enim, cuius etiam partes sunt rigor, & aequitas, & cui proprium est tribuere unicuique, quod suum est, et iuxta opera sua; modo vitur ipso rigore, aliquando vero aequitate: rigore euidem durius arguendo (ut Diuus ait Benedictus) indisciplinatos, et inquietos; Aequitate vero obediētes, & mites rationabili quodam more rogando, & obsecrando. Cum igitur in regendis Monasterijs plurimum intersit: nosse Monachorum ingenia, obseruet in primis Abbas sibi subditorum etates, mores, conditiones, & infirmitates: ut sciat postmodum, pro rerum, & temporum qualitate, & mitem esse, et rigorosum: etiamque si opus fuerit (velut prudens, et peritus Medicus, in curandis morbis incurabilibus, & contagiosis) uti igne, & ferro, pia quadam crudelitate aliquando non grauetur, ac demum sciat (ut his verbis utamur) parcere subiectis, & humilibus: et debellare contumaces, & superbos. Ab eo charitas vna praebeatur omnibus, idest non habeat acceptionem personarum: in tantum ut et corrigendo, & castigando filium liberet animam eius a morte: & nunquam a dilectione, & charitate discedat: cum (Deo adiuuante) possimus, & debeamus, non modo quos corrigimus, sed & inimicos nostros diligere. Vbi dicitur non dissimulet

let peccata delinquētiū, sed mox ut cœperint oriri &c. monent patres, & monitos esse volunt omnes Prælatos nostrę cōgregationis, ut caueant ab isto pessimo dissimulationis vitio: ne dum culpas incaute remittunt, non iam per charitatem compati, sed per negligentiam consensisse videantur. Immo quam citissime malis omnibus occurrant; quoniam sapiēti illo dicto monemur, *Principijs obsta, sero medicina paratur, Cum mala per longas conualuere moras.*

Meminisse debet semper Abbas quod est, meminisse quod dicitur, & scire quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque quam difficilem, & arduam rem suscipit, regere animas, & multorum seruire moribus; & alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus. Et secundū vniuscuiusq; qualitatem, vel intelligentiam, ita se omnibus conformet & aptet, vt non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiat, verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne simulans, aut paruipēdens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat sollicitudinem de rebus transitorijs atq; terrenis, & caducis, sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est. Et ne causetur de minori sorte substantia, meminerit scriptum, *Primum querite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adicientur vobis.* Et iterum; nihil deest timentibus eum. Sciatq; quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationē reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo quia in die iudicij ipsarum omnium animarum est redditurus domino rationem sine dubio addita & suæ animæ. Et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis sibi ouibus, cum de alienis ratiocinijs cauet, red
ditur

ditur de suis sollicitus . Et cū de admonitionibus suis emendationem alijs subministrat, ipse efficitur a vitijs emendatus.

Satis memor erit sui officij Prælatus, & nominis, quod habet, Abbatis, si considerans nullā fere posse maiorem seruitutem excogitari, quam ut aliquis multorum moribus, & ingenijs se conformet, & aptet; & eos durā cōpisse prouinciam qui regere animas suceperunt: ab ipso, qui est salus, robur & fortitudo nostra, auxilium assiduis precibus implorauerit. Attamen sicuti non debetis patres huiusmodi onera auida elatione suscipere, ita etiam nec blandiente desidia respuere, nec vestrum ocium necessitatibus Ecclesiæ vllō modo præponere, ut latius infra suo loco dicemus. Nā ut ab eo plus exigitur, cui plus committitur, ita ille magis meretur, & longe copiosius a Deo remuneratur posthabitis proprijs cōmoditatibus, in his quæ Dei sunt, & circa animarum sibi commissarū salutem, omni genere charitatis, & maiori, qua potest, diligentia versatur. Vbi dicitur ne dissimulans &c. Hortantur patres, & mouent inherentes pio ac sancto Regulæ instituto, Monachos oēs, & speciatim Prælatos, Cellerarios, ceterosq; ministros, ut ante omnia, & infinites, magis quam rerum temporalium (quas tamen, ut suo loco dicemus minime negligere, aut dilapidare debent) curam habeant animarum sibi commissarū. Quādoquidem de illis Deo principaliter reddituri sunt rationem, & ad hoc uocantur, & non ad cumulandos thesauros, aut augendas opes, ut prudentes

dentes apud supremos congregationis patres, ac
 rerum agendarum periti habeantur; & inde eo-
 rum gratiam, & maiores dignitates aucupentur.
 Etenim homini, quid prodest, mundum si unuer-
 sum lucretur, anima uero sua detrimentum patia-
 tur? Studeant itaq; circa curam animarum suo
 fungentes officio, Deo magis quam hominibus
 placere. Is etenim intuetur cor, mentes prospicit,
 ac uidet hominum cogitationes quam per sæpe ua-
 nae sunt, & inutiles. Ipse aliam dabit mercedem
 seruis suis non falsam, aut tenuẽ quemadmodum
 mundus, sed uerissimam, sed firmissimam, & ma-
 gnã nimis. Anteponant Dei cultum tam cor-
 poris exteriorem, quam animi interiorem, sacrum,
 nimirum officium, psalmodiam, orationes, fidem
 spem, charitatem, cunãtis rebus transitorijs. Scien-
 tes quod qui mundum diligunt homines, munda-
 na, & qui Christum, christiana sequuntur. Quod
 reliquum est huius partis regulæ, cum ex se satis
 clarum sit, & apertum, nihil est quod diutius cir-
 ca eius positionem patres immorentur.

DE ADHIBENDIS AD CONSILIVM FRATRIBVS.

CAP. III.

QVoties aliqua præcipua agenda sunt in monaste-
 rio, conuocet abbas omnem congregationem,
 & dicat ipse unde agitur. Et audiens consilium fra-
 trum tractet apud se prudenter, & quod utilius iudi-
 cauerit faciat. Ideo autem omnes ad consilium uoca-

ri diximtis: quia saepe iuniori dominus reuelat, quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, ut non presumant procaciter defendere quod eis visum fuerit: sed magis in abbatis pendeat arbitrio: & quod salubrius esse iudicauerit, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis conuenit obedire magistris: ita & ipsam provide & iuste concedet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistrum sequantur regulam: neque ab ea temere declinetur a quoquam. Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem. Neque presumat quisquam cum abbate suo proterue intra, aut extra monasterium contendere. Quod si presumpserit: regulari disciplinae subiaceat. Ipse tamen abbas cum timore dei & obseruatione regule omnia faciat, sciens se proculdubio de omnibus iudicijs suis: exquisitissimo iudici Deo rationem redditurum. Si qua vero minora agenda sunt in monasterij utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio, sicut scriptum est, Omnia fac cum consilio & post factum non poenitebis.

Tria esse, in omnibus rebus publicis administrandis regiminum genera, non est qui ambigat, Monarchiam idest unius imperium; Aristocratiam hoc est optimatum regimen; & Democratiam, idest popularem principatum. Verum quoniam nihil difficilius est, quam bene operari; ideo Rex, cui pro libidine omnia licet impune agere: raro bene imperat; Plebs etiam, cui proprium est nihil bene intelligere, aliquanto peius. Pauci uero idest optimates; cum princeps esse quisque optet plerumque; non satis concordem regnant. Optimum tamen omnium est, uel saltem minus periculosum unius regimen. Non inquam cum princeps ait, sic uolo, sic iubeo, aut cum uult quod satis sit pro
ratione

ratione uoluntas: sed quando subditorum hominū,
 & prudentium utitur consilio: & ijs legibus, sine
 quibus nulla Respub. consistere potest. Quod qui
 dem considerans Diuus pater Benedictus, postquā
 constituit Prælatum in Monasterio Abbatem, &
 est locutus de ijs qualitatibus, quibus, qui futuri
 sunt Prælati ornati esse debent, ad limitandam eo
 rū autoritatē subnectit immediate dictum capitū
 lū, De adhibendis ad cōsiliū fratribus. In quo sa
 ne capitulo tria principaliter ostendit; uidelicet
 Abbatē, quāuis præsit omnibus in Monasterio, es
 se tamen ita legibus, & Regula subiectum, ut nō li
 ceat ei quodāmodo quicquā agere suo arbitrio. Se
 cūdo loco, quod quādo præcipua quædā sunt agen
 da, debet conuocare omnes fratres, & audita uni
 uersiusq; sententia, quod postmodum utilius iudi
 cauerit, facere. Tertio quod quando minora, &
 minus præcipua in Monasterio agi debent, senio
 rum tantum utatur consilio. Ex quibus patet hūc
 regendi modum Diuum Patrem ex ueteri testa
 mento ad unguem accepisse. Nam erat plebs,
 erant seniores, & super omnes unus, qui omnibus
 præerat, & iubebat. Vbi ergo dicitur in regula,
 quoties aliqua præcipua agenda sunt; nomine
 rerum præcipuarū uolunt patres intelligi, aliena
 tiones omnes bonorum immobilium, permuta
 tiones, emptiones, locationes ad longum tempus,
 institutiones procuratorū, & ea omnia, quæ secun
 dū sacros Canones, si fierēt a Prælato, sine omniū
 fratrum, & capituli consensu, & uoluntate, nul
 lius essent ualoris. Quæ inquam omnia (sic exi
 gente

gente horum temporum qualitate) antequam proponantur uniuerso capitulo, uolunt mature tractari cum senioribus primum, deinde cum reliquis Monachis in capitulo: & si a maiori parte, ultra medietatem, probabuntur, tū executioni mandari, & non aliter, nec alio modo. Nomine uero rerum Minorum, pro quibus exequendis debet Abbas uti tantum consilio seniorum, uolunt patres intelligi, locationes bonorum annuas; promotiones inueniū ad sacros ordines, & his similia iuxta declarationem, & iudicium discreti Abbatis. Super uerbum Abbatis, declarauerunt, cuncta, que in Regula, & constitutionibus de ipso dicuntur, per omnia debere intelligi etiam de Prioribus, in illis Monasterijs, que titulum Prioratus habent. Uniuersam autem Congregationem esse uolunt, non quidem alicuius conuentus, aut Monasterij, sed cunctos ordinis Monachos; uice quorum, ac loco ueniūt in capitulis Generalibus Prælati omnes & Cōuentuales, qui pro tempore uocem habent; Nam antiquitus unumquodq; Monasterium Congregatio erat, & dicebatur: quoniam semet regebat, & nulli alij subdebatur, nisi Episcopo, & ordinario. Nunc uero uniuersus ordo noster, sicut, & ceteri, Congregatio appellatur, cū per se ipsam regatur, nec ulli alij, nisi summo Pontifici immediate subdatur, uti uidere licet in amplissimis priuilegijs nobis a quam pluribus summis Pontificibus collatis. Seniorū nomine, ut omnis dissensionis occasio tollatur, declarauerūt intelligi debere omnes, qui primum occupāt locū post Prælatum
 siue

*sive sint Priores, sive Supprieores, Decanos quoq; ,
 Magistros Novitiorum, & Camerarios cum tra-
 ctantur temporalia, & ad ipsos spectantia eos rur-
 sum, qui alias fuerunt Prælati: & ceteros deniq;
 quos Prælatus longa experientia iudicabit ido-
 neos. Atq; in parvis Monasterijs nomine senio-
 rum, Sacerdotes omnes, si ita uoluerit Præla-
 tus intelligi ijdem patres declarauerunt. Ordina-
 uerunt præterea, & inuiolabiliter seruari manda-
 uerunt, ut nullus Prælatus aut Monasterium pos-
 sit bona immobilia alienare, aut adempticosim
 tradere, excedentia ualorem uiginti quinque aureo-
 rum, absq; speciali licentia Reuerendi Disinito-
 rij, quam licentiam non possit Prælatus petere,
 nisi prius rem cum senioribus tractauerit, & de
 inceptis cum omnibus uocem habentibus in capitu-
 lo. Quantum uerò ad bona immobilia minoris
 precij xxv. aureorū quomodolibet ad Monaste-
 rium deuoluta, ut iterum locentur, sive uendan-
 tur, sufficiat licentia Patris Generalis, aut Vica-
 rij prouinciæ; accedente nihilominus consensu in
 his, & alijs alienationibus, si opus sit, sacrosan-
 ctæ Sedis Apostolicæ, & fiant omnia cum timore
 Dei. Et contractus omnis, qui aliter fieret, & ci-
 tra uerum supradictarum obseruationem, irritus
 sit, & nullus: & Prælatus, qui illum fecerit, aut
 consenserit priuetur, & sit priuatus ipso iure om-
 ni prælacione, & dignitate per biennium. Cete-
 rum ut omni cum humiliatè, & modestia quilibet
 sententiam suā in capitulo, ubi requisitus fuerit,
 seruat secundum Regula tenorem, Patres ijdem
 manda-*

mandauerunt. Prelati vero, qui ordinationibus si-
 pradictis aliquo pacto contrauerint, uel eas ser-
 uari non curauerint, ad arbitrium Patris Gene-
 ralis, & uisitorum, iuxta grauitatem transgres-
 sionis, puniantur. Quod si ipsi Generalis, & Visi-
 tatores a Iustitia declinauerint, possunt, qui uolue-
 rint, Monachi causam ad Diffinitorium deferre.

QVAE SINT INSTRV- MENTA BONORVM

OPERVM.
 CAP. III.

In primis dominum deum diligere ex toto corde,
 tota anima, tota uirtute, deinde proximum tanquā
 seipsum. Deinde non occidere, Nō adulterare, Nō fa-
 cere furtum, Non concupiscere, Non falsum testimo-
 nium dicere: Honorare omnes homines: Quod sibi fie-
 ri quis non uult, alij ne faciat. Abnegare semetipsum
 sibi, ut sequatur Christum. Corpus castigare, delicias
 non amplecti: ieiunium amare: pauperes recreare:
 nudum vestire: infirmum visitare: mortuum sepelire:
 In tribulatione subuenire: Dolentem consolari: A fa-
 culi actibus se facere alienum. Nihil amori Christi
 preponere. Iram non perficere. Iracundie tempus
 non reseruare. Dolum in corde non tenere. Pacem
 falsam non dare. Charitatem non derelinquere. Nō
 iurare omnino, ne forte periuret. Veritatem ex corde,
 & ore proferre. Malum pro malo non reddere. Iniu-
 riam non facere: sed & factam patienter sufferre. Ini-
 micos diligere. Maledicentes se, non remaledicere:
 sed magis benedicere, Persecutionem propter iustitiā
 sustinere. Non esse superbum. Non uioleptum. Nō
 multum edacem. Non somnolentum. Non pigrum.

D Non

Non murmurosum. Non detractorem. Spem suam deo committere, bonum aliquod in se cum viderit, Deo applicet non sibi; malum vero semper à se factū sciat, & sibi reputer. Diem iudicij timere. Gehennam expauescere. Vitam eternam omni concupiscentia spiritali desiderare. Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Actus vitæ suæ omni hora custodire. In omni loco deum se respicere pro certo scire. Cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & seniori spiritali patefacere. Os suum a malo vel prauo cloquio custodire. Multum loqui non amare. Verba vana aut risui apta nō loqui. Risum multum aut excussum non amare. Lætationes sanctas libenter audire. Orationi frequenter incumbere. Mala præterita cum lachrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipsis malis de cætero emendare. Desideria carnis non perficere. voluntatem propriam odisse. Præceptis abbatis in omnibus obedire, etiam si ipse (quod absit) aliter agat: memor illius dominici præcepti. Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Non velle dici sanctum antequam sit: sed prius esse quo veritas dicatur. Præcepta dei factis quotidie adimplere. Castitatem amare. Nullum odisse: Zelum & inuidiam non habere. Contentionem non amare. Elationem fugere: seniores venerari. Iuniores diligere in Christi amore. Pro inimicis orare. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire. Et de Dei misericordia nunquam desperare. Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritalis. Quæ cum fuerint a nobis die noctuq; incessabiliter adimpleta: & in die iudicij reassignata: illa merces nobis a domino recompensabitur, quam ipse promisit. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus his qui diligunt eum. Officina vero, vbi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterij, & stabilitas in congregatione.

Quoniam quartum capitulum regulæ patribus præscriptis non tantum consideratione dignum videtur, quam etiam admirabile, ac prope Diuinum, cum ijs de rebus tractet, quæ virtute, ac breui admodum verborum periodo, vniuersam complecti doctrinam christianam, & sub quodam quasi epilogo summam totius legis euangelicæ continere videantur; Idcirco in Christi visceribus, & cum omni charitatis affectu, hortantur Prælatos omnes, ac Monachos, vt illud semper præ oculis habere studeant, & in omni eorum opere illud sibi ad imitandum proponant. Siquidem vnusquisq; tanto erit perfectior, ac regularis obseruatione magis amator, quanto diligentius ea, quæ in ipso capitulo narrantur, implere conabitur. Verum quia absq; speciali Dei gratia huiusmodi diuinis instrumentis in propria officina, quod est Monasterium, minime vt conuenit, vti valeamus: eapropter omnibus, & singulis prælatis, quo facilius hanc gratiam assequi valeant, præcipiunt, ac in uerbo domini mandant, ut sacrosanctum penitentiae Sacramentum, & Altaris, crebrius frequentare faciant. Ita vt quilibet sacerdos, & in primis Prælatos nõ solum dominicis diebus, et alijs festiuis sæper celebret, verum etiam frequentius. Imo hortantur, ne à celebratione omnino desistant. Qui vero sacerdotes non sunt, singulis saltem mensibus semel: in Quadragesima, & Aduentu Domini, singulis diebus Dominicis; & in omnibus solemnitatibus Domini nostri, ac Matris eius Virginis Mariæ, sacrosanctam Eu-

charitiam accipiant. Confessionem uero peccatorum tam conuersi, & commissi, quam Nouitij, Iuuenes, & Monachi facere singulis diebus dominicis, etiam si non communicent teneantur, ita ut confessionem nulli liceat, ut alibi dictum est, ultra octauum diem ullo pacto protrahere. Et qui ultra uices dictas communicare uoluerint, ut puta singulis totius anni Dominicis, ac festis precipius quemadmodum consulit Augustinus, possint de licentia Prælati, qui se facilem in huiusmodi licentis dandis, ubi fructum cernit, sese præbere debet. hoc sciens, quod qui ad sacrum Altaris Sacramentum, ea qua debet preparatione accedit, in dies semper se ipso fit melior, ac sanctior. Omnibus autem diebus a prandio, uel dicto completorio, omnes, ac singuli iuxta ueterem nostri ordinis consuetudinem, in ecclesiam ad priuatas orationes per agendas, & ad sacras stationum indulgentias sumendas, reuertantur. Verum, quia optimi legislatoris, non solum interest promouere subditos ad ipsam legis obseruantiam, monstrando quid agere debeant; sed etiam deducendo impedimenta: Idcirco patres idem præscripti, uolentes impedimenta bonorum operum è medio tollere, præcipiunt omnibus, & singulis Monachis, ut frequentiam, ac familiaritatem omnem secularium, omnino, & quantum fieri potest, caueant: Ministris tamen exceptis, qui ob negocia Monasterij aliter facere nequeunt. Sint nihilominus & ipsi exemplares, & cum omni modestia, & humilitate suorum Monasteriorum causas cum secularibus tractent.

Nullus

Nullus uero, quouis nomine censeatur, audeat sub pœnis grauissimis, a prelato iniungendis, secularia negotia exercere, ut puta emere, aut emere facere, uendere, mercari, ac multo minus archimiam exercere, mederi, & id genus reliqua, quæ probum religiosum minime decent, iuxta illud Pauli, Nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus. Immo Canonum statutis firmatum est ut quicūq; in clero esse uoluerit, emendi uilius, & uendendi carius studio non utatur.

Inherentes præterea capitulo, Peruenit ad nos, causa decima oet̄aua, quæstione secunda cap. canonum & Cau. 14. quæst. 4. nolunt patres, & sub pœnis grauioribus prohibent, ut Monachi sibi faciant Commatres, aut Compatres, neq; ad feminas, cuiusuis occasionis prætextu, nisi in primo, uel altero gradu sibi attinentes, accedant. Quod si quis Prelatus, uel ipse fecerit, alijs uel permiserit, & uel tacite, uel expresse consenserit, duplici pœna, qua puniretur Monachus, ipse a patre Generali, & a Visitoribus puniatur. Prohibuerūt etiam, & prohibitas omnino esse uolūt, eas omnes artes, quæ a sacris Canonibus prohibentur in cau. 26. quæst. 1. 2. 3. 4. & 5. per totum.

Quoniam rursus iuxta eundemmet Apostolū, corrumpunt bonos mores colloquia mala, præcipiunt, grauius puniri eos, qui in loquendo, uerbum aliquod in honestum, aut minus religiosum præferrent. Nam eiusmodi uerba plerumq; inditium esse solent non sanæ mentis, cum ex abundantia cordis os loqui consueuerit. Immo uero non tan-

tum ab in honestis uerbis, & confabulationibus, cauere debent religiosi, quin & ab inanibus colloquijs, & uerbis inutilibus, scientes quod de ijs omnibus reddituri sunt rationem in die iudicij. Abstineant quoq; a narrationibus fabularum, aut historiarum, etiam uerarum, quæ aliquam uel minimam inhonestatis materiã præferunt, & hoc præcipue corã inuenibus: Deniq; sit memor Monachus uerbi Augustini, qui ait, nugas in ore secularium nugas esse, atq; in ore regularium blasphemias. Studeant itaq; Monachi non solum non egredi septa Monasterij, nisi magnis de causis, uerum etiam non nimium uagari per claustra, aut uiridarium, sed in cellis, aut in ecclesia, orationibus, ac lectionibus incumbentes manere uelint. Sic enim cella continuata dulcescit. Cum uero in publicum, coram alijs Monachis, uel laicis prodire necessitas erit, aut per ciuitatem, & oppidum ire, meminerint modestiæ, ac compositionis oculorum. Recte nanq; instituti Monachi oculos humi defixos inter eundum habere solent; manus inter loquendum non nimis gesticulantes; pedes sedendo non diuaticatos: nihil deniq; non aptum, non sanctum, non diuinum, eundo, loquendo, ac sededo, & quiescendo efficere solent. Qui hætenus dicta exequi curabunt, benedictionem, & bonum gratiæ gradum à domino acquirunt: qui uero contempserint, grauiter p. qualitate criminis puniuntur: & prælati, qui in rerum antedictarum obseruatione negligentes inuenti fuerint, mulcentur & ipsi, usq; ad priuationem dignitatis inclusive, si opus fuerit

fuerit. Etenim indigni sunt regere alios, qui se ipsos minime custodire norunt, & qui sibi ipsis imperare non valent, bene quoque alijs præcipere nequaquam possunt.

DE OBEDIENTIA DISCIPULORVM.

CAP. V.

Primus obedientiæ gradus est obedientia sine mora. Hæc conuenit his qui nihil sibi Christo charius existimant propter seruitium sanctum, quod profecti sunt seu propter metum gehennæ vel gloriam uitæ eternæ. Mox ut aliquid imperatum a maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. De quibus dominus dicit, in auditu auris obediuit mihi. Et idem dicit doctoribus. Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes: mox ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur. Et velut vna momento prædicta magistri insio & perfecta discipuli opera in velocitate timoris Dei amplexus communiter cuius explicantur: quibus ad vitam eternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt: vnde dominus dicit, Angusta via est quæ ducit ad vitam: ut non suo arbitrio viuentes, vel desiderijs suis & voluptatibus obediunt: sed ambulantes alieno iudicio & imperio, in cœnobijs degentes, abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam domini imitantur sententiã qua dicit. Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, si quod iubetur non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure

re vel cum responso nolentis efficiatur. Quia obedientia quæ maioribus præbetur Deo exhibetur. Ipse enim dixit. Qui vos audit me audit. Et cū bono animo à discipulis præberi oportet: quia hilarem datorē diligit Deus. Nam cum malo animo si obediat discipulis: & non solum ore verum etiam in corde si murmurauerit: & si impleat, iurisdictionem, tamen acceptum iam non erit deo: qui eorū respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam: immo penam murmurantium incurrit: si non cum satisfactione emendauerit.

Cum in omnibus congregationibus religiosorum hominum, inobseruantia omnis inde potissimum provenire videatur, quoniã Prælati præceptis Regule, ac sanctissimis patrū cõstitutionibus, quemadmodū pax esset; nõ obtemperant. Si. n. ipsi legū nostrarū observatores essent, utiq; & eorum subditi, cū à bonæ maiori discat arare minor, et talia ut plurimum sint membra, qualia sunt capita: Propterea ipsi supradicti patres præcipiunt omnibus & singulis Monasteriorū præpositis, ut inuoluntate obediunt ipsi & observent, & alios obedire, et observare, pro posse faciãt sanctissimã nostrã Divi Benedicti Regulã, nec non constitutiones, & ordinationes quæ in declaratione ipsius hætenus factæ sunt, & quæ in posterum fiet; præcipuè vero (nullo habito respectu ad ea, quæ quomodolibet in cõtrarium quicquã disponerent) has præsentis Cõstitutiones servare studeant, quas in solenni capituli celebratione hoc anno Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Nono, præscripti Patres Reformatores, ac Diffinitores, de mandato Sanctissimi D. Domini Nostri Pij Quinti, edendas curarunt,

& hoc sub pœna depositionis a quocumq; gradu,
 dignitate, ac pralatione. Quântum verò ad Mo-
 nachos priuatos, cum obedientia sit vnum è tribus
 principalibus votis, quæ vnusquisq; religiosus in
 sua solemnè professione facit: Hortantur, atque
 per dominum rogant antedicti Patres, omnes &
 singulos, ut suis Pralatis tanquam à Deo missis,
 obediant in omnibus. Nam cum promiserimus
 Deum, ac Christum Dominum per viam, quæ ten-
 dit ad perfectionem sequi, & omnem nostram vo-
 luntatem ipsi sponte obtulerimus, indignum sane,
 ne dicã impium videtur, iam semel oblatum repe-
 tere, per inobedientiam; ac ipsis contraire, quibus
 ille ait. Qui vos audit me audit, & qui spernit
 vos, etiam me ipsam contemnit. Meminerimus
 sine humilitate neminem posse saluari, huilem
 vero neq; esse, neq; dici posse, qui Deo, & eius vi-
 cem gerentibus, obedientiam minime præstiterit.
 Sunt enim adeo connexæ, atq; inuicem inserte,
 obedientia, & humilitas, vt vnâ sine altera ne-
 mo habere queat. Immo uero ut catholici docto-
 res asseuerant; videtur esse obedientia, externum
 quoddam internæ, ac intus in corde latentis humi-
 litatis inditium. Et Reuerendus ille pater Iusti-
 nianus, qui Eremi constitutiones in vñ post quin-
 gentos annos redegit, atq; conscripsit, vult, eadem
 ratione, quod qui infra dicuntur in regula humi-
 litatis, dicantur obedientiæ gradus. Propterea
 qui obedientes esse contemnunt frustra monasti-
 cham togam induunt, & Monachi dumtaxat no-
 men; virtutem vero, ac opera nequaquam possi-
 dent.

DE TACITVRNITATE.

CAP. VI.

Faciamus quod ait propheta . Dixi , custodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea . Posui ori meo custodiam . Obmutui & humiliatus sum : & siui a bonis . Hic ostendit propheta , si a bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri : quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet cessari . Ergo quamuis de bonis & sanctis & ædificationum eloquijs , perfectis discipulis propter taciturnitatis grauitatem rara loquēdi concedatur licentia : quia scriptum est , In multiloquio non effugies peccatum . Et alibi . Mors & vita in manibus linguæ . Nam loqui & docere magistrum condecet : tacere & audire discipulo conuenit . Et ideo si qua requirenda sunt à priore : cum omni humilitate & subiectione , & reuerentia requirantur : ne videatur plus loqui quàm expedit . Scurrilitates vero vel verba ociosa , & risum mouentia , æterna clausura in omnibus locis damnamus : & ad tale eloquium discipulum aperire os non permitimus .

Considerantes etiam supradicti patres , Monachum semper in omni loco , & tempore grauem se , & modestum exhibere debere , & non minus in verbis , quam in actibus religiosum se ostendere , & nihil præterea taciturnitate , ac silentio in Dei famulis commendabilius (quod ad æternas attinet carimonias) reperiri posse , præsens hoc sextum capitulum regulæ dec larantes , hortantur Monachos omnes , vt quantum possunt , studeant esse in sermone sobrii , ponant hostium circumstantie

stantia labijs suis, summoq; opere caueant ab omni verbo ocioso. Prælati vero præcipiunt, ut cū omni diligentia in suis Monasterijs hanc partem Regule obseruare faciant, & silentium in omnibus locis, ac temporibus, iuxta ipsius regule tenorem, & quemadmodum infra dicitur, inuiolabiliter custodire. Idq; facilius obtinebunt si delinquentes grauius mulēt abunt, ac punient. Ut vero omnis occasio scurrilitatis è medio tollatur, ac leuitatis, districte prohibent, & nullo pacto volūt quod infra septa Monasterij canes, aut aues, vel id genus cætera animalia, quæ ad delicias haberi solent, & sola voluptatis causa, nutriantur. Omne quoq; genus ludi è nostris Monasterijs penitus eliminari, & exulare volunt, ac præcipiunt, sub grauioribus pœnis à Prælato iniungēdis, ut infra. Si quis vero intus uel extra Monasterium deprehensus aliquando fuerit lusisse ad cartas lusorias uel taxillos, grauius ad arbitrium Prælati prima vice puniatur; Secunda uero vice carceris custodia ad libitum patris Generalis, & Visitatorum mancipetur. Insuper uoce actiua, & passiuæ per trienium sit priuatus. Prælati uero, qui in hoc crimen (quod tamen absit) inciderint, uel scientes non punierint, in hoc delinquentes, actutum à suis officijs, ac dignitatibus in penam absoluantur. Vetuerunt præterea, ne ullo pacto in Monasterijs nostris fiant Comedia, uel representationes, quas uocant, cum uestimentis secularium. Item ne alia quacumq; de causa quispiam Monachus uelibus laicorum induatur, neque

que ibidem exuatur proprijs, ut lauetur in flumine, vel in mare, uel alijs aquis, nisi forte sanitatis gratia, & de Medicorum consilio sit faciendum. Cum vero fratres insimul erunt recreationis causa, intus uel extra Monasterium, summo opere cau-
 bunt à clamoribus, & dissolutionibus; non se inuicem tangent, neq; manibus, neq; baculis, aut huiusmodi: Non contendent uerbis, nec aliud quicquam agent, quod honestati Monachorum non congruat. Et qui alicui prædictarum rerum contrafecerint, in publico Refectorio in terra ieiunabit pane, & aqua, toties, quoties in aliquo horum deliquerit. Ut uero omnia ista melius seruentur, uolunt quod in similibus recreationibus Prælatus semper inueniatur, uel aliquis de senioribus. Nō possint etiam fratres, recreationis gratia extra Monasterium in domibus secularium, uel etiam religiosorū alterius ordinis, ullo pacto pernoctare, sub pœna priuationis actiuae, & passiuæ uocis, per annum: causa tamen negotiorum Monasterij, licet, cum opus fuerit Camerarijs, Procuratoribus, Conuersis, Commissis, & alijs deputatis seu missis ad aliquod negocium, extra Monasterium; & loca Monasterij dormire, in locis nihilominus honestis, et suspitione omnium carentibus.

LIBER I. 61
DE HUMILITATE.

CAP. VII.

Camat nobis scriptura divina, fratres dicens. Omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur. Cum hec ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ. Quod se cauere propheta indicat dicens. Domine non est exaltatum cor meum: neq; elati sunt oculi mei, neq; ambulavi in magnis: neq; in mirabilibus super me. Sed quid? Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam. Sicut ab lactatus super matrem suam: ita retribues in animam meam. Vnde fratres si summæ humilitatis culmen volumus attingere, & ad exaltationem illam cœlestem, ad quâ per præsentis vitæ humilitatē ascenditur, volumus velociter peruenire, actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est, que in somno Iacob apparuit per quam ei descendentes, & ascendentes angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille, & ascensus a nobis intelligitur: nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere. Scala vero ipsa erecta, nostra est vita in seculo, quæ humiliato corde à domino erigitur ad cœlum. Lateran. eiusdem scalæ dicimus nostrum esse corpus, & animam, in quibus duos gradus humilitatis vel disciplinæ vocatio diuina ascendendos inseruit. ¶ Primus itaq; gradus humilitatis est si timorem dei sibi ante oculos semper ponēs, obliuionē omnino fugiat. Et semper sit memor omnium quæ præcepit deus. Et qualiter contemntes deum, in gehennam pro peccatis incidunt: & vitam eternam, quæ timentibus deum præparata est, animo suo semper reuoluat. Et custodiens se omni hora a peccatis & vicijs. i. cogitationum, lingue, oculorum, manuum pedum vel voluntatis proprie. sed & desideria carnis amputare festinet. Estimet se homo, de cœlis a Deo semper respici omni hora, & facta sua in omni loco ab aspectu diuinitatis videri, & ab angelis omni hora deo

nunciari. Demonstrat nobis hoc propheta. Cum in cogitationibus nostris ita deum semper præsentem ostendit, dicens. Scrutans corda & renes deus. Et iterum. Dominus nouit cogitationes hominum quoniã vanæ sunt. Et item dicit. Intellexisti cogitationes meas a longe. Et quia cogitatio hominis confitebitur tibi. Nam vt sollicitus sit circa cogitationes suas peruersa, sciat semper humilis frater in corde suo. Tunc ero immaculatus coram eo, si obseruaero me ab iniquitate mea. Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur, cum dicit scriptura nobis, & a voluntatibus tuis auertere. Et item rogamus deum in oratione, vt fiat illius voluntas in nobis. Docemur ergo merito nostram non facere voluntatem, cum cauemus illud quod dicit scriptura. Sunt vie, quæ videntur hominibus recte, quarum finis vsq; ad profundum inferni demergit. Et cum cauemus illud quod de negligentibus dictum est. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis. In desiderijs vero carnis, ita nobis deum credamus semper esse præsentem, cum dicit propheta domino. Ante te est omne desiderium meum. Cauendum ergo est ideo malum desiderium: quia mors secus introitum delectationis posita est. Vnde scriptura præcipit dicens, post concupiscentias tuas. Ergo si oculi domini speculantur bonos & malos, & dominus de cælo semper respicit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens deum. Et si ab angelis deputatis nobis quotidie die noctuq; domino factori nostro, opera nostra nunciantur. Cauendum est omni hora fratres sicut dicit in psalmo propheta. Ne nos declinâtes in malum, & inutiles factos, aliqua hora aspiciat deus. Et parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est, & expectat nos conuerti in melius, ne dicat nobis in futuro. Hæc fecisti & tacui.

¶ Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis nõ amans voluntatem desideria sua non delectetur implere. Sed vocem illam domini immitetur dicentis. Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit. Item dicit scriptura. Voluntas habet peccatum, & ne-

& necessitas parit coronam. ¶ Tertius humilitatis gradus est, vt quis pro dei amore omni obedientia se subdat maiori, imitans dominum, de quo dicit apostolus, factus obediens vsque ad mortem. ¶ Quartus humilitatis gradus est. si in ipsa obedientia duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs tacita conscientia patientiam amplectatur, & sustinens non lassescat vel discedat, dicente scriptura, qui perseuerauerit vsq; in finē, hic saluus erit. Item cōfortetur cor tuum, & sustine dominum. Et ostendens fidelem pro domino vniuersa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona sufferentium, propter te morte afficimur tota die, estimati sumus sicut oues occisionis. Et securi de spe retributionis diuinæ subsecuntur gaudentes, & dicentes, sed in his omnibus speramus propter eum, qui dilexit nos. Et item alio loco scriptura. Probasti nos (inquit) deus igne nos examinasti sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum posuisti tribulationes in dorso nostro. Et vt ostendat sub priore debere nos esse; subsequitur dicens. Imposuisti homines super capita nostra. Sed & præceptum domini in aduersis, & in iniurijs per patientiam adimplentes, qui percussi in maxillam, præbent & aliam, auferenti tunicam, dimittunt & pallium. Angariati mille passus, vadunt & duo, & cum Paulo Apostolo falsos fratres sustinent, & percussiones, & maledicentes se benedicunt. ¶ Quintus humilitatis gradus est si omnes cogitationes malas, cordi suo aduenientes vel mala a se abscondite commissa, per humilem confessionem abbati non celauerit suo, hortatur nos de hac re scriptura dicens. Reuela domino viam tuā & spera in eo, & item dicit. Confitemini dño quoniā bonus, qm̄ in seculum misericordia eius. Et item propheta. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitias meas non operui. Dixi pronuntiabo aduersum me iniustitias meas domino, & tu remisisti impietate cordis mei. ¶ Sextus humilitatis gradus est. si omnī vilitate, vel extremitate contentus sit monachus, & ad omnia quæ sibi iniunguntur. velut operarium malum

se iudicet & indignum, dicens cum propheta. Ad nihilum redactus sum, & nesciui vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. ¶ Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorē, & viliorem non solum sua lingua pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se, & dicens cum propheta. Ego autem sim vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Exaltatus sum, & humiliatus & confusus. Et item Bonum mihi quod humiliasti me: vt discam mandata tua. ¶ Octauus humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus nisi quod communis monasterij regula, vel maiorum cohortantur exempla. ¶ Nonus humilitatis gradus est, si linguam ad loquendum prohibeat Monachus, & taciturnitatem habens, vsque ad interrogationem non loquatur, monstrante scriptura, quia in multiloquio non effugietur peccatum, & quia vir linguosus non dirigetur super terram. ¶ Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu. Quia scriptum est. Stultus in risu exultat vocem suam. ¶ Undecimus humilitatis gradus est, si cum loquitur monachus, leniter & sine risu, humiliter cum grauitate, vel pauca verba & rationabilia loquatur, & non sit clamorosus in voce, sicut scriptum est. Sapiens verbis innotescit paucis. ¶ Duodecimus humilitatis gradus est, si non solū corde Monach^o, sed etiā ipso corpore humilitatē vidētib^{us} se, semper indicet, id est in opere, in monasterio, in oratorio, in orto, in via, in agro, vel vbiunque, sedens, ambulans, vel stans, inclinatio sit semper capite. Defixis in terram aspectibus, reū se omni hora de peccatis suis existimans: iā se tremendo iudicio Dei præsentari existimet: Dicēs sibi semper in corde illud, & publicanus ille euāgelicus fixi in terram oculis, dixit. Domine non sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cælum. Et iterum cum propheta. Incuruatus sum: & humiliatus sum vsqueouaque. Ergo his omnibus humiliatis gradibus ascensis, Monachus mox ad charitatem dei perueniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem, per quam vniuersa quæ prius non si-

ne formidine obtinabat, absque vlllo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire, non iam timore gehennæ sed amore Christi, & consuetudine ipsa bona, & delectatione virtutum: quæ dominus iam in operarium suum mundum a vitij & peccatis spiritu sancto dignabitur demonstrare.

Nemo mirari debet, sanctissimum Patrem nostrum Benedictum in hoc septimo capitulo, tam prolixè, tamq; accuratè de Humilitate tractare, si quidem ut paulo ante dicebamus ab ipsa, (quemadmodum a superbia omnia vitia) virtutes omnes, modo quodam oriri, ac demanare noscuntur. Idq; præterea facit Patriarcha noster, & quidem potissimum, quoniam optime nouit, Demone[m] hoc solum querere, ut eos, quos alijs vitij sub suo vexillo minime attrahere potuit, elationis medio, & inani gloria, atq; superbia trahat, & a virtutum semita hoc pacto faciat deuare. Ut igitur nostræ cõgregationis Monachi sint uerè humiles, eos præscripti Patres hortantur, ac in Christi uisceribus rogant, uti frequenter, & cum attentione ipsos duodecim humilitatis, seu ut quidam uolunt, (& quidè non ineptè) obedientiæ gradus; legere uelint, & multo magis opere totis uiribus studeant adimplere. Procul sit omnis elatio mentis, exulet inanis gloria, superbiat nullus in se ipso: Nec de generis nobilitate, aut rerum peritia, aut quacumq; alia de re quispiam inaniter gloriatur. De absentibus, non nisi quæ bona sunt, loquantur; præsentibus laudent, si ita eorum merita poscant, & nullus sit elationis motus. At si laudare quæpiam

non liceat, nulli detrabere delectet. Quod si quis, alicuius ordinis religiosos, uerbis, aut factis uituperare ausus fuerit, grauitur a patribus, & Pralatis puniatur, indicaturq; tali maledicenti, per aliquot dies, uel hebdomadas silentium, iuxta qualitatem transgressionis. Eodem quoq; pacto grauius puniri uolunt, qui contra Principes homines & Magistratus seu alios summos uiros cum laicos, tum Ecclesiasticos linguas maledicendo, seu detrabendo acuerint. Vti etiam alios uituperare minime conuenit, ita nos ipsos inaniter, ac superflue laudare nequaquam decet. Itaq; de congregatione nostra, de Monasterijs nostris, deq; nobis ipsis semper humiliter est sentiendum. Et ut omnis circa hoc tollatur abusus, Precipiunt prescripti Patres sub grauioribus penis ut nullus nostrae congregationis Monachus superflue laudare audeat, aut super alia extollere praesumat Monasterium, in quo ipse habitum sanctae Religionis accepit, quasi pulchritudine, diuitijs, ordine, moribus, cerimonijs, numerositate patrum, ac arctiori obseruantia reliqua antecellat. Hoc nanq; proprietatem quandam sapere uidetur, & superbia uitium esse. Non ne sumus omnes unius congregationis Monachi? Non ne sub uno capite Romualdo, & Benedicto, Christo Domino omnes militamus? Non ne omnes isdem induimur tunicis, & cucullis, eodem pallio tegimur, eandem currimus uiam? Ut quid ergo, quemadmodum apud Paulum quidam gloriari uidentur se esse Pauli, aut Apollinis, aut Cephae, quasi diuisus sit: Christus gloriamini

ni cucullam Camaldulensem, magis in hoc, quam in illo nostri ordinis Monasterio accepisse. Dicamus obsecro, id ipsum omnes, & cum in omnibus Monasterijs, æqualem habeamus partem, & tantum in uno, quantum in alio; & non maiorem in hoc; quam in illo: nesciamusq; in quo nam Monasterio uiuere, aut mori debeamus; omnia pariter diligamus, laudemusq;, nec istud illi, neq; hoc alii, nec unum alteri præponamus. Semper tamen initium, & caput nostræ congregationis sacram Eremum Camaldulensem nouerimus esse, ibiq; arctissimam obseruantiam uigere.

DE OFFICIIS DIVINIS IN noctibus. Cap. VIII.

Hæc tempore: id est a calendis Nouembris vsq; ad pascha, iuxta considerationem rationis, octaua hora noctis surgendum est, vt modico amplius de media nocte pauetur: & iam digesti surgant. Quod vero restat post uigilias, a fratribus qui psalterij vel lectionum aliquid indigent, meditationi inseruiatur. A pascha autem vsque ad suprascriptas calendas Nouembris: sic temperetur hora uigiliarum agenda: vt paruissimo interuallo quo fratres ad necessaria naturæ excant, custodito: mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

Ad maiorem, & faciliorem intelligentiã octaua huius capituli Regula, atq; vt omnia in nostra congregatione, vt decet, fiant, sanxerunt patres vt in omnibus Monasterijs nostris, per totum æstiuum, tam æstiuo, quam hiemali tempore, Matutina una cum laudibus, iuxta antiquam consuetudinem

E ij diem

dinem, vna hora immediate post dimidiam noctē,
 celebrentur, & persoluantur. Primum signum cā
 pane (post vbi sacrista cellas fratrum pulsauerit)
 duret tantū spatium temporis, quantū cōsumitur
 dicendo psalmum quinquagesimum, nec nimis mo-
 rose, neque nimis celeriter. Ultimum vero signum
 perseueret quousq; à Pralato, siue ab eo qui præ-
 est in choro, fiat signum inchoationis officij. Signū
 autem medium, quādo tribus vicibus pulsatur, sit
 breuius primo. Præcipiunt etiam, vt statim, post
 pulsationem cellarum à sacrista, in inceptioe pri-
 mi signi, vnusquisq; fratrum surgat, & postquam se
 signo sanctæ crucis de more munierit, incipiat dice-
 re Domine labia mea aperies &c. & prosequa-
 tur totum psalmū sexagesimum nonum. Deus in
 adiutorium &c. Quo expleto, & dicta gloria, su-
 biungat Kyriel. Christe elei. Kiriel. Pater no-
 ster. V. Oltēde nobis domine misericordiam
 tuā. R. Et salutare tuum da nobis. V. Exurge
 Domine adiuua nos. R. Et libera nos propter
 nomen tuū. V. Ave Maria gratia plena. R. Do-
 minus tecū. V. Domine exaudi orationē meā,
 R. Et Clamor meus ad te veniat. Oremus, Gra-
 tias tibi agimus Domine sancte pater omni-
 potens æterne Deus qui nos de transacto no-
 ctis spatio ad hanc horam perducere dignatus
 es, quesumus vt dones nobis hunc diē sine pec-
 cato transire; quatenus ad vesperum, & semper
 tibi Deo Gratias referamus, per Christū Do-
 minum nostrum. *Quem ordinem in libello offi-
 cij Beatæ Virginis reperies. A cella subinde di-
 scedens*

*sedens, ad ecclesiam tendit, Monachus dicat
 psalmum xxiiij. Ad te Domine leuavi animā
 meā: Cū uero ad fores ecclesie peruenerit, accepta
 aqua benedicta, in ipso limine genuflectens, dicat,
 Introibo Domine in domum tuā, adorabo ad
 templum sanctū tuum, & confitebor nomini
 tuo. Ecclesiam ingressus adoret, inclinando pro-
 funde, sanctissimā Eucharistiam, dicendo, si dies fe-
 stus fuerit, tribus uicibus, Deus propitius esto
 mihi peccatori, Dominicā item orationē, simbo-
 lum Apostolorum, & salutationem Angelicam.
 Deinceps ab eo loco, in quo sic inclinatus manserit
 discedens, ac per Ecclesiam, uel Chorum ad
 suum locum pergens; ubi ad eam peruenerit par-
 tem, in qua sic fieri solet, uertens se ad Altare, rur-
 sum profunde inclinet ante sacratissimum Christi
 corpus. Mox ad sedem suam uadens ibi genuflecte
 maneat in sanctis, ac pijs meditationibus, ac ora-
 tionibus, quousq; ultimum signum campanæ fiat.
 Tum surgens, uerso uultu ad altare maneat, usq;
 dum fiat a prelato signum. Tunc denuo ad signū
 Abbatis inclinans, dicat Pater noster. Et Cre-
 do in Deum. Et incipiatur officium. In diebus ue-
 ro ferialibus idem fiat in omnibus, excepto quod
 ad Altare genuflectere debemus, dum dicimus Pa-
 ter noster, & Credo. Et idem fieri debet in choro
 dum prefata oratio Dominica, & symbolum, sa-
 cto signo a Prelato, dicetur. At uero Deus pro-
 pitius &c. semper dici debet, non genuflectendo,
 sed inclinando profunde. Et hunc modum præci-
 piunt inuiolabiliter ab omnibus obseruari, tam*

Monachis, quam praelatis. Voluntq; ad exactiorē
 eius obseruationem, vt Reuerendissimus Genera-
 lis, & Visitatores in visitationibus suis diligenter
 super hoc Monachos, & maximē iuniores inter-
 rogent, & examinent. Vtrum dictum ordinem,
 psalmos, & orationes sciant: & eos quos in hoc
 delinquentes inuenerint, seuerē puniant. Præci-
 piunt etiam Magistris Nouitiorum, vt inter pri-
 ma Religionis erudimenta, hæc qua modo dixi-
 mus, discipulos suos doceant. Deniq; ad memoriā
 verbū prophetæ reuocātes, nimirum Maledictus
 homo, qui facit opus Dei negligēt, seu frau-
 dolenter, præcipiūt Monachis omnibus, vt die, no-
 ctuq; chorū frequentare studeant, nullusq; ab
 eius sequela, nisi ob iusta negocia, & de licentia
 Prælati remanere, aut vllō pacto se subtrahere
 præsumat. Volunt præterea, vt suo loco dicemus
 ipsos Monachos attente, & cum omni reuerentia
 humilitate, ac deuotione in choro stare, dum diui-
 num officium celebratur. Quod si quis secus ege-
 rit, & nugas dando, ridendo, iocando, aut loquen-
 do indignum aliud eo loco, & actione ad miserit,
 graui pœna a prælatō puniatur. Cum domum Do-
 mini doceat sanctitudo, & non debeat ipse locus
 orationis fieri ab immo rigeratis Monachis spe-
 lunca latronum. Prælati vero qui huiusmodi fa-
 cinora veluti leuiora dissimulauerint, aut non cor-
 rexerint, corrigantur ipsi, & puniantur a Reuerē-
 tissimo Generali, & Visitoribus. Et vt nunquā
 vel minima occasione eueniat, vt non æque diuina
 officia in omnibus oratorijs nostris celebrentur;

præ-

præcipiunt ipsi Patres vt horæ omnes Diuini operis, ac etiam Deiperæ Virginis Mariæ omnibus nostris Ecclesiis quotidie; licet aliqua occasione paucissimi adessent Monachi in Monasterio, omnino peragantur. Nec liceat vnquam, quouis vrgēti negotio temporali, Domum uel ecclesiam ita Monachis vacuam relinquere, ut nō saltem tot remaneāt, quot ad diuinum officium in choro persoluedum, & ad dicendum saltem duas Missas, sufficere commode possint. Quod si quis prælatus in hoc non suo functus fuerit officio à patre Generali, & Visitoribus grauius puniatur.

QVOT PSALMI DICENDI

sunt in nocturnis horis. Cap. IX.

HYemis tempore præmissis, o in primis versu, Deus in adiutorium meū intende, Dome ad adiuuandū me festina: in secundo ter dicendum est: Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuā. Cui subiungendus est tertius psalmus & gloria. Post hunc psalmus nonagesimus quartus cum antiphona aut certe decantandus. Inde sequatur ambrosianum. Deinde sex psalmi cum antiphonis. Quibus dictis & dicto versu: benedicat Abbas. Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissimā fratribus in codice super alalogium tres lectiones, inter quas tria responsoria canantur, duo responsoria sine gloria dicantur. Post tertiam vero lectionem, qui cantat, dicat gloriam.

Quam cum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilibus surgant ob honorem, & reuerentiam sanctæ trinitatis. Codices autem legantur in vigilijs diuinæ auctoritatis tam veteris testamenti quam noui: sed & expositiones earum, quæ a nominatissimis & orthodoxis catholicisque patribus factæ sunt. Post has vero

E iij tres

tres lectiones cum responsorijs suis, sequantur reli-
qui sex psalms cum alleluia canendi. Post hos, lectio
Apostoli sequatur, ex corde recitanda, & versus, &
supplicatio letanie, idest Kyrie eleison, & sic finiantur
vigilie nocturne.

Cum in omnibus, & per omnia que sanctissi-
mus pater noster Benedictus in hoc nono sup
Regula capitulo ordinat, in vniuersa nostra con-
gregatione seruentur: nihil aliud circa ipsum pa-
tres sanxerunt, nisi quod numerus psalmorum,
Antiphonarum, Responsoriorum, ceterarumq; re-
rum, iuxta serie breuiariorum dicatur. At vero
circa lectiones nullo pacto volunt, quod ita bre-
ues in choro legantur, quemadmodum in Breuia-
rijs sunt notatæ: siquidem ipsa Breuiaria, illa dum
taxat ratione videntur inuenta, vt vsui eorum
seruiant, qui chorum minime frequentare pos-
sunt. Itaque sanxerunt, vt deinceps in Legen-
darijs sanctorum, in sacris Biblijs, & Homelia-
rijs ita legantur, vt saltem singuli psalmi sexti lon-
gitudinem æquent; cum videlicet duodecim lectio-
num matutine fuerint celebrandæ: cum vero triu-
tantum, aliquanto longiores dici debent. Vt ve-
ro istud inuolabiliter seruari possit, præcipiunt
Prælati, vt infra duos menses a publicatione ha-
rum constitutionum, cum effectu curent, vt in sin-
gulis nostrorum Monasteriorum choris sint hi om-
nes codices ex emendatioribus, & qui a catholi-
cis, & doctis uiris bene reuisi sint, nempe Legenda-
rium magnum latinum, sacra Biblia, & Home-
liarium. In quibus libris statim, vt empti fuerint,

ubi non sunt, debeant Abbas, Prior, & Decani pro quolibet. Sãcto, Historia, et Homelia, statuere lectionum longitudinem, signando in margine **LECTIO prima, LECTIO secunda &c.** A qua mēsurā lectionū si quis deniauerit, toties, quoties ieiunet pane, & aqua in medio Refectorij. Ipse vero qui eas pro tēpore leget, ita alte, & distincte legere curabit, ut astantes omnes recte percipiant. Neq; vero esset incongruum, immo consonum, ac laudabile multum, non solum iuniores, sed alios quoq; prouectioris aetatis patres, qui lectiones in Choro, & in Refectorio legere habent, eas ante percurrere, ac prouidere, quemadmodum non nullos antiquos patres, & hos doctissimos scilicet Elitasse memoria proditum est. Quod autem omnia ista seruentur apprime curabunt Priores, vel Subpriores, qui primum locum in conuentu post Prælatum tenent. Et si in hoc negligentes reperi fuerint, uisitationis tempore puniantur. Nec minus Prælati, ad quos uel maxime spectat in omnibus vigilare super custodiam gregis sibi commissi, ac diligenter pro uiribus efficere, ut omnia ista executioni mādentur; si secus fecerint, puniantur. Caterum a festiuis tempore, cum in octauis, & diebus ferialibus una tantum lectio ueteris testamenti, aut alterius alicuius libri legitur, ut in sequenti capitulo Regule declaratur: seruetur ordo Breviariorum.

QUALITER AESTATIS TEMPO
re nocturna laus agatur. Cap. X.

A Pascha autem vsque ad Calendas nouembris omnis, vt supra dictum est, psalmodice quantitas teneatur: excepto quòd lectiones in codice propter breuitatem noctium minime legantur: sed pro ipsis tribus lectionibus vna de veteri testamento memoriter dicatur, quam breue Responsorium subsequatur, & reliqua omnia vt supra dictum est impleantur, idest vt nūquam minus a duodecim psalmodum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur exceptis tertiis, & nonagesimo quarto psalmo.

Vbi in superscripto capitulo Regule exponitur qualiter dicendae sint Matutinae laudes diebus aestatis, cum iam dicitur sit omni tempore id fieri debere vna hora post mediam transactam noctem, & circa psalmodum numerum, & ceterarum rerum seruari debere ordo Breuiariorum nostri ordinis (præterquàm in lectionibus) nihil aliud patres in hac parte deliberauerunt, nisi quod a Pascha Resurrectionis, vsq; ad festiuitatem Sanctæ Crucis de mense Septembris, ob noctium breuitatem, iuxta antiquas nostri ordinis consuetudines, Matutinum Beatæ Virginis non dicatur in choro, sed vnusquisq; illud extra chorum persoluat. Magister tamen Nouitiorum prædicto tempore alijsq; diebus festiuis quibus officium ipsius Virginis in choro non dicitur; teneatur vna cum tironibus suis, ac iuuenibus professis, vti etiam fit in Eremito nostro, ante vel post canam in Ecclesia ante

ante Altare maius illud exsoluere. Verum à di-
 eta festiuitate sanctæ Crucis, vsq; ad pascha præ-
 fatum. Semper dicatur in choro, ante domini of-
 ficiū, & hoc inuolabiliter obseruetur in omni-
 bus Monasterijs nostris, tam magnis quã paruis.
 Reliquæ vero horæ Beatæ Virginis dicantur, vt sic
 semper in choro, exceptis octauis, & diebus so-
 lemnibus, vt supra. Et qui huic ordini contraue-
 nire presumpserit, tempore visitationis a Genera-
 li; vel capituli a Dissimuloribus, nulla habita ratio-
 ne personæ, grauitè puniatur. Et ab hac obser-
 uantia nullus excusetur, neq; ob paucitatem fra-
 trum, neq; ob molem negotiorum temporalium,
 neq; ob aliam quamcumq; causam vrgentem; cum
 nihil pœnitus sit, quod cultui diuino iure præfer-
 ri possit. Et si ipse Generalis, & alij Maiores par-
 ui penderent aliquos graues errores, qui in aliqui-
 bus sæpe locis circa Diuinum officium admitti so-
 lent, grauitè, ac seuerè punire; sciant se aliquan-
 do se apud iustissimum Dei tribunal esse de bis om-
 nibus rationem reddituros, ac grauitè puniën-
 dos. Et re vera omnium ferè malorum, quæ in
 Monasterijs fiunt, causa sunt maiores; vel exem-
 plo subditos scandalizando, vel vitia ip-
 sa non puniendo, imo potius dissimu-
 lando vel non bene iustitiam
 administrando.

QUALITER DOMINICIS DIE-
bus vigiliæ agantur. Cap. XI.

Dominico die tēperius surgatur ad vigiliās, in qui-
bus vigilijs teneatur hæc mensura, id est modula-
tis, vt supra disposuimus, sex psalmi, & dicto versu, re-
fidētibus cūctis disposite, & per ordinē in sublellijs,
legantur in codice (vt supra diximus) quatuor lectio-
nes cum responsorijs suis, vbi tantum in responsorio
quarto dicatur a cantante, gloria. Quam dum incipit,
mox omnes cum reuerentia surgant. Post quas lectio-
nes sequantur ex ordine alij sex psalmi cum antiphon-
is sicut anteriores & versus, post quas iterum legan-
tur aliæ quatuor lectiones cum responsorijs suis ordi-
ne quo supra. Post quas iterum dicantur tria cantica
de prophetis, quæ instituerit abbas: quæ cantica cum
alleluia psallantur. Dicto etiam versu, & benedicen-
te Abbate, legantur aliæ quatuor lectiones de nouo
testamento ordine quo supra. Post quartum vero re-
sponsorium incipiat Abbas Hymnum. **TE DEVM** lau-
damus. Quo dicto, legat Abbas lectionem de euange-
lio cum honore & tremore, stantibus omnibus. **QUA**
perlecta respondeant omnes. Amen. Et subsequatur
mox Abbas. Hymnum. **TE** decet laus. Et data benedi-
ctione, incipiant matutinos. **Qui** ordo vigiliarum om-
ni tempore tam æstatis quam hyemis equaliter in die
dominico teneatur: nisi forte (quod absit) tardius sur-
gatur, quia tunc aliquid de lectionibus breuiandum
est, vt responsorijs, quod tamen omnino caueatur ne
proueniat. Quod si contigerit: digne inde satisfaciat
in oratorio: per cuius euenerit neglectum.

IN hoc vndecimo capitulo Regule, vbi dici-
tur quod fratres in die dominico magis per tem-
pus surgant ad vigiliās, & matutinas; ordinave-
runt patre s, ita fieri debere: hoc est anticipandum
esse

esse tēpus ipsius Matutini Dominicalis . Addideruntq; (ut sit inter nos conformitas in obseruantijs) à quibus & quomodo legēde sint in choro lectiones . Dicitis itaq; prioribus sex psalmis primi nocturni, cū suis Antiphonis, versiculo, & Pater noster; iuuenis Nouitius, siue professus, qui seruiturus erit ea hebdomada, vti Accolitus Missa Tertie, & in Refectorio mensa patrum; accepta de more a Pralato benedictione, legat primas duas lectiones . Quibus lectis cum suis Responsorijs, alter iuuenis, qui suprascripto, ea hebdomada elapsa, in eodem officio subrogari debet, accedens, & similiter benedictionem accipiens, reliquas duas lectiones legat . Deinde alijs sex psalmis secundi Nocturni absolutis, ut supra, presens Hebdomadarius sacerdos, ordine iā dicto seruato, priores duas lectiones legat : reliquas vero duas, Hebdomadarius proxime elapsus . Similiter post canticam, qui fuerit quouis modo maior post priorem, vel subpriorem claustralem in choro; sumpta benedictione, dicat priores duas lectiones homilij : alias vero duas, ipse prior, vel subprior claustralis, siue is, qui post Pralatum, maior est omnibus in choro . Suprascriptas autem benedictiones nullus audeat conficere, aut de nouo ad libitum componere, sed vnus quisq; illis utatur, que in Breuarijs sunt notatæ, & quas hactenus semper Patres nostri in vsum habuerunt . Vltimo de vno Responsorio, hoc est duodecimo, perfecte terminato, Pralatus grauiter, & deuote intonet, aut in cantu, aut sine notis, iuxta exigentiam solemni.

lemnitatis, Hymnum, TE DEVM laudamus. Prope cuius sinem, accedens ipse idem Prælatus, uel qui maior erit in choro, ad locum ubi cantari solet Euangelium, illud cantet, siue legat, pro ut ipsa requireret ac postulabit solemnitas; ita clare, & distincte, ut ab omnibus intelligi facile queat. Finito Euangelio, & responso a fratribus AMEN. dictoq; Himno TE DECET laus, subsequatur orationem, secundum ordinem in regula, & breuiario præfixum. Et hoc seruetur, non oblatæ quavis consuetudine in contrariū: cū sit de mente PII QVINTI Pontificis Maximi; in annotationibus, super his a sua sanctitate factis, ut Regula omnimodo seruetur ab omnibus. Addiderunt etiam ipsi Reuerendi Patres, ut iuxta antiquum morē, eadem lectiones in loco, si fieri potest, eminentiori semper legantur, & in ea parte chori, ubi tunc non sunt hebdomadarij, neq; signum chori. Quem quidem ordinem legendi lectiones seruari volunt in nostra congregatione, non solum diebus Dominicis uerum etiam alijs, in quibus duodecim lectiones leguntur. Circa responsoria, ut hætenus seruatum est, dictis diebus, dici debent a Iuue ne hebdomadario cantore, qui elapsa hebdomada fuerit, cum Missæ tertie, tum Mensæ patrum seruator, ac Minister. Quem sane iuuenem, dum in hebdomada sua manebit, locum habere volunt in choro super omnes alios professos, etiam si fuerit minor in professione, uel ordine Sacramentali. Dicta uero responsoria, Antiphonas, & Versiculos, quoad fieri poterit, alte, distincte, & absq; falsa latinitate

nitate, pronuntiare studebit; stando nihilominus in loco suo, & sede, nisi forte aliquando, ob magnam solemnitatem, opus esset in medio chori illa omnia legere simul cum succentore. Qui sane succentor is erit, qui elapsa hebdomada cantorianam exercuit.

QVOMODO MATVTINORVM
solemnitas agatur. Cap. XII.

IN matutinis dominico die, in primis dicatur psalmus lxxvi. sine antiphona in directum. Post quem dicatur quinquagesimus psalmus cū alleluia. Post quem dicatur. cxvii. & lxxj. deinde benedictiones & laudes: lectio de Apocalypsi vna ex corde, & responsum: & ambrosianum, & versus: & canticum de euangelio, letaniam, & completum est.

Quantum ad hoc duodecimum capitulum, de clarant præscripti Patres, sequendo consuetudinem hætenus seruata, laudes Matutinales debere semper dici immediate post vigilias, siue Nocturnos, eo ordine, & cum illis psalmis, qui in Breuiario notati sunt. Itaque diebus feriilibus, post orationem secundi Nocturni, diebus vero festiuis post orationem Euangelij, ætutum auspiciari debent. Nomine vero LAVDVM Matutinalium intelligendum dicunt id, quod Beatus Benedictus uocat in titulo huius capituli. & in ter tiodecimo, & in sextodecimo insimul MATVTINVM, & laudes.

Et quoniam videre nesciunt Patres, quare ratione non semper eiusmodi laudes ab oratione Domini
nica

nica auspiciari debeant. præcipiunt inherendo vestigijs, & consuetudini, quæ maxima cum ratione servatur in nostra sacra Eremita, ut ubiq; in nostra congregatione, semper (nulla habita ratione maioris, vel minoris solemnitatis) ante laudes dictas, quemadmodum & ante quamlibet aliam horam canonicam, facto signo a Præposito, dicatur ab omnibus oratio Dominica, ob eam potissimum rationem, quoniam à Divino patre Benedicto, ut quid sciuntur ab ipsis vigilijs considerantur. Volunt pariter, ut in inceptione earum fiat signum, pulsando campanam tantum temporis spatium, quantum dicendo semel Angelicam salutationem, & Pater noster consumitur. Et hoc diebus dumtaxat festivis, non autem ferialibus.

Quonia item Dominus noster, qui verum est lumen & sol ipse iustitiæ, sacris debet luminaribus honorari, & coli, ut id uniformiter ubiq; in nostra congregatione fiat, sanxerunt præscripti Patres, ut in solemnitatibus plenissimis, dum dicuntur Vigilie, duo semper lumina super Altare sublimius ardeant; dum vero Te Deum laudamus inchoatur, alij quatuor purissimæ ceræ superaddantur, ultra illa duo, quæ deferuntur in vitibus a Ceroferariis. Quæ quidem lumina perserverent accensa usq; ad finem laudum. Et ubi non essent iuvenes Ceroferarii; ultra supra dicta lumina, quæ super Altare Maius splendere debent: ponatur cereus alius accensus in medio, ubi cantari debet Evangelium. Quod sane Evangelium, ut in plenissimis solemnitatibus maiori cum apparatu cantetur, volunt Patres, quod cum pluviali

pluuiali, ceroferarijs, Accolitoq; decantetur. Egressus, itaq; è sacrario Prælati dum dicitur, Per singulos dies, cum dictis pluuiali, & Ministris, veniensq; ad altare maius, librum dumtaxat euangeliorum thurificet, quem super sacram petram apertum positum inueniet. Quo facto accipiat librum ipsum, & inherendo Altari, illum super pectus suum tenens, verso vultu ad chorum, sic maneat, quousq; Accolitus illum de nouo thurificauerit. Deinde in medium progrediens, ubi fuerit Legiū (quod dicimus) preparatū; incipiat, secundum tonū solemnitatis, Dominus Vobiscū &c. Et dū chorus respondeat Gloria tibi domine, accepto a latere dextro thuribolo ab Accolito, iterum thurificet librum, & postmodū restituto a latere sinistro ipso thuribolo eidem Accolito, euangelium prosequatur. Quo finito, & decantato himno Te dicet; dum cantores in choro dicunt Benedicamus Dñe ipse sacerdos sacris vestib⁹ indutus ad Altare maius reuertatur, & dicto Pater noster, submissa voce, inchoet, Deus in Adiutoriū, & Choro prosequente laudes, redeat ille in sacrificiā, & sacris exutus vestibus, iterum in choro cum sola cuculla reuertatur: sit tamen solemnitas, quæ celebrabitur talis non esset, vt deberent in choro Laudes totæ, uel pars earum cantari: tum enim reuerti deberet Prælati in chorum cum pluuiali, gratia dicendi capitulum & orationem. In solemnitatibus plenis dum cantantur vigiliæ, nullum lumen super Altare maius ardeat; ad euangelium vero & laudes qua-

8uy accendantur; In nocturnis itidem Dominicarum, & festorum duodecim lectionum, nullum lumen accendatur: ad euangelium vero, & laudes, duo tantum. In Matutinis Beatæ Virginis, in medio super candelabrum lumen semper ardebit. Si quis autem Prælatus hæc omnia non obseruauerit in suo Monasterio, aut non procurauerit, ut à Monachis suis obseruentur pro prima vice grauius à patribus Deffinitoriij puniatur, & pro secunda, omni dignitate, & administratione priuetur.

QUALITER PRIVATIS DIEBUS Matutini Agantur. Cap. XIII.

Diebus autem priuatis matutinorū solemnitas ita agatur, idest. lvi. psalmus dicatur sine antiphona indirectum, subtrahendo modice sicut dominica: ut omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum antiphona dicatur. Post quem, alij duo psalmi dicantur secundum consuetudinē idest secunda feria, quintus. & trigesimus quintus. Tertia feria quadragesimus secundus: & quinquagesimus: sextus. Quarta feria sexagesimus tertius & sexagesimus quartus. Quinta feria octuagesimus septimus & octuagesimus nonus. Sexta feria septuagesimus quintus & nonagesimus primus. Sabbato autem centesimus. quadragesimus secundus: & canticum deuteronomij, quod diuidatur in duas glorias: Nam ceteris diebus canticum vnum quodq; die suo ex prophetis, sicut psallit ecclesia romana dicatur. Post hæc sequantur laudes: deinde lectio vna apostoli memoriter recitanda. Responsorium ambrosianum: versus: canticum de Euangelio, letanie: & completum est. Plane agenda matutina, vel vespertina, non transeat aliquando, nisi in ultimo per ordinem, oratio dominica omnibus audientibus dicatur a priore, propter scandalorum spinas quæ oriri
fo-

solent: vt conuenti per ipsius orationis sponsonem qua dicunt, dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, purgent se ab huiusmodi vitio. Ceteris vero agendis vltima pars eius orationis dicatur, vt ab omnibus respondeatur: sed libera nos a malo.

Quoniam superius dictum est, quo nam pacto iuxta ordinationes Patrum, lectiones diebus festis legenda sint: modo in hoc Regulae capitulo (cum ex se reliqua clara videantur, & in frequenti sint apud nos usu) dicendum superest, quo modo ferialibus diebus sint dicende. A calendis itaque Nouembris, usq; ad Pascha Resurrectionis, tres tantum dici debent, in dextro quidem chori latere, ubi Abbas residet, feria secunda, quarta, & sexta. In sinistro autem in quo Prior feria tertia, quinta, & sabato.

Si igitur feria secunda, hebdomada erit (ut aiunt) in choro Abbatis, lectiones attinebunt ad hebdomadarium cantorem, Responsoria vero ad Accolitus; Et si chorus erit a parte Prioris, lectiones contra leget Accolitus, Responsoria vero cantor. Feria tertia si chorus erit in parte Abbatis, lectiones leget Accolitus, Responsoria autem cantor. Quod si in parte Prioris erit chorus, contrario modo fiat. Feria quinta si chorus erit in parte Abbatis, lectiones spectabunt ad sacerdotem hebdomadarium, Respon. vero ad Accolitus: at si chorus erit in parte prioris, lectiones leget hebdomadarius, qui proxime decesserit, Respon. vero Cantor. Feria quinta si chorus sit in latere Abbatis, lectiones similiter leget hebdomadarius pre-

teritus Respon. cantor: quod si in latere Prioris, lectiones dicet hebdomadarius sacerdos, Respon. vero Accolitus. Feria sexta quoniam non legitur euangelium; lectiones attinent semper ad Abbatem, aut illo absente, ad illum, qui præest in illo choro. Respon. vero, si est chorus in parte Abbatis, ad Accolitum, si in parte Prioris ad Cantorem. Sabbato lectiones semper pertinent ad Priorem, aut illo absente ad alium, qui sit maior in illo choro, Respon. vero si chorus sit in dextro latere, ad Cantorem: si in sinistro ad Accolitum. Et hic ordo qui forsitan breuius explicari poterat, non autem clarius, ut ab omnibus intelligeretur, perpetuo seruari debet, cum leguntur diebus ferialibus tres lectiones. Quando autem una tantum lectio legenda est, semper ab Accolito legi debet.

Ceterum ubi dicitur in hoc capitulo quod dicatur Letaniæ, nomine letaniarum intelligendum esse declarant. Kirielleison &c. Canticum uero Euangelij, de quo Regula hic loquitur, sciunt omnes illud esse Zachariæ. **BENEDICTVS** Dominus Deus &c. illud quoque prætereundum non est, quod hi, qui Diacones non sunt, non debent lectiones Homeliarum legere. Id circo iuuenum moderator, si quando talibus contigerit, alijs eorum vice eas committet.

IN NATALITIIS SANCTORVM
Qualiter Vigiliæ agatur. Cap. XIII.

IN sanctorum vero festiuitatibus, vel omnibus sole
Innitatibus, sicut diximus dominico die agendū, ita
agatur. Excepto quod psalmi aut, antiphone, vel le-
ctiones ad ipsum diem pertinentes, dicantur. modus
autem supradictus teneatur.

Post ubi Diuus pater Benedictus ordinauit in
festiuitatibus sanctorum, quoad uigilias, matu-
tinum & laudes, omnia seruari debere, quem-
admodum Dominicis fit diebus; subdit id non esse
intelligendum quo ad psalmos, Antiphonas, &
lectiones. Cum unicuiq; sanctorum, proprii psal-
mi, Antiphonæ, Responsoria & lectiones assignen-
tur. Verum quia, nisi huic rei aliquis adhibere-
tur ordo, pauca admodum hebdomadæ essent, in
quibus totum perficeretur psalterium: quod ta-
men alibi Diuus Pater mandat: Idcirco ut & fe-
stiuitates sanctorum debite recolantur, & cate-
ra Regula instituta non posthabeantur; san-xerūt
Patres, ac inuolabiliter seruari mandauerunt,
sub grauioribus pœnis, ad arbitrium Patris Gene-
ralis, & Visitatorum, ut ubi in Breuiarijs antiqui-
tus impressis usq; ad annum 1507. dicitur, de ali-
quo sancto fieri debere simplex commemoratio
ita eodem die fiat, & non aliter. At si sanctus il-
le titulum haberet alicuius membri e nostris prin-
cipalibus, in eo casu Monasterium, cuius Mem-
brum est, celebret eius festum, cum lectionibus

duodecim . In alijs vero locis de ipso tantum , ut supra commemoratio fiat .

Quando item in eodem Breuiario dicitur de aliquo sancto fieri debere festum duodecim lectionum , vel commemorationem , si commode eodem die fieri possit , duodecim lectionibus eius festum colatur . At si id fieri nequeat eodem die , nullo pacto transferatur , sed sola commemoratione , pro illo anno , erit contentus : excepto ut supra dictum est , si haberet titulum alicuius membri &c. Et quoniam Multae Vrbes , & oppida , non nullos peculiare aduocatos colunt , de quibus in nostris Breuiarijs nulla prorsus fit mentio , quemadmodum Rauenna plures sanctos Episcopos colit ; Ea propter Patres antedicti ordinarunt , ut de huiusmodi sanctis , in illis usilem urbibus , ad consolationem populorum , festum celebretur , etiam si in Breuiarijs nostris non sint notati . Si autem de eo ipso die ob aliquod aliud festum , non fiet à Clero Ciuitatis , non fiat etiã à nostris Monachis , sed tantum commemoratio . In alijs uero locis , ut non subtrahantur Mortuis debita suffragia : & feriale officium Magis frequentetur , nulla de talibus sanctis fiet commemoratio . Hoc enim uidetur consonum ei , quod in nonis Breuiarijs Curiae statuit , de mense Sacrosancti Concilij Tridentini , Sanctissimus Dominus noster P I V S Q V I N T V S . Siquidem multae sanctorum festiuitates ad solam commemorationem reduxit .

Præcipiunt etiam ut in omnibus locis nostrae Congregationis , hoc est ab uno quoque capite fiat fe-

festum omnium aliorum similium, eodem ipso die illius Sancti, cuius titulum habet; exempli gratia, festum Sanctæ Anastasiæ, quæ est titulus Arcus Senarum, debet celebrari in omnibus alijs nostris Monasterijs, licet non sit notatum in Breuarijs, suo die, hoc est tertia Iulij, & sic de singulis. Similiter uolunt quod unumquodq; caput principale, festum omnium illorum colat, quorum omnia eius membra titulos habent. Et si quando erunt denuo imprimenda Breuiaria nostra, siue magna, siue parua, uolunt quod is, qui eiusmodi negotio præerit, qua poterit maiori diligentia curet, ut in omnibus quoad fieri poterit, similia sint ijs, qui anno dicto 1507. impressa fuerunt. Et nemo possit addere quicquam, nec adimere, quod alicuius sit momenti, sine expressa licentia Reuerendi Definitorij in scriptis habita. Non enim hæc talia sunt, ut ad unius, uel duorum placitum, ac uoluntatem tam faciliter sint immutanda.

Et quoniam nonnulli, quadam peculiari, & forsitan superstitiosa, ac uana ad aliquod Monasterium, uel sanctum affectione ducti, nulla antiqui ritus habita ratione, officia peculiaria, & Missas nouas in honorem eorundem locorum, seu sanctorum edidit: Idcirco ordinauerunt Patres, ut deinceps eiusmodi noua officia, in Monasterijs dimittantur, & locis, pro quibus sunt adita (si tamen fuerint à Definitoribus correctæ, & approbata) dicantur. In alijs uero locis usus, antiquorum Missalium, ac Breuiariorum ordo seruetur. Neque uero prædicta noua officia, seu Missa ulterius in li

bris nostris imprimantur, sine expressa licentia, & ordinatione Reuerendi Deffinitorij. Quod si tamē fieri neceffe fuerit, non ita faciles in tribuenda huiusmodi licentia se se prabeant Patres. Sed mature, & diutius rei grauitatem examinent.

Volunt pariter, quod festa Patrum Benedicti, ac Romualdi in omnibus Monasterijs nostris sollempnissime celebrentur, & peculiari quadam reuerentia, ac deuotione colantur, & non secus ac festa sanctorum, præcepta ab Ecclesia. Et hoc non solum a Monachis seruari mandant, verum etiam à Conuersis, & famulis omnibus Monasterij.

ALLELUIA, QVIBVS TEMPO- ribus dicatur. Cap. XV.

A Sancto pascha vsq; ad Pētecosten sine intermissio ne dicatur alleluia: tam in psalmis quam in responsorijs. A pentecoste autem vsq; ad caput quadregime omnibus noctibus cum sex posterioribus psalmis tantum ad nocturnos dicatur. Omni vero domini ea extra quadregima cantica matutini prima: tertia: sexta: nona que cum alleluia dicantur. vespera vero cum antiphonis. Responsoria vero nunquam dicantur cum alleluia nisi a Pascha vsq; ad Pentecosten.

Cum hoc capitulum Regule nulla pene videatur egere declaratione, mandant Patres eius obseruantiam iuxta ordinem Breniariorum. Ut autem idem ordo ab omnibus teneatur, sciendum est (& hoc iuniorum nouitiorumq; causa dictum sit) quod à sabbato Sancto ad vesperas, vsq; ad Sabatum Septuagesimæ, in principio cuiuslibet ho-


ra diuini operis, absoluta Gloria, post DEVS in
 Adiutorium, dicitur Alleluia; A Septuagesima
 vero vsque ad dictum Sabatum Sanctum dicitur,
 Laus tibi Domine, Rex etene gloriæ. Cōfirmaue-
 runt preterea, quod dum in Dominicis festis, duo
 decim lectionum, & solemnitatibus plenis dici-
 tur pro Antiphona, Alleluia, bis à cātore inchoe-
 tur: & in plenissimis toties quoties in fine psalmi,
 aut hora dicenda est, ab eodem cantore, seu canto-
 ribus inchoetur. Cuius hebdomadarij Cantoris sit
 proprium officium semper inchoare, vel vt dici-
 mus intonare Antiphonas, praterquā in solempi-
 nitatibus plenissimis, in quibus dicuntur à Cantori-
 bus paratis: & sic de Responsorijs, & Versiculis.
 Atq; in diebus ferialibus bis tantum intonetur
 Alleluia, & hora completa, vt puta Sexta, No-
 na, aut alia, toties replicetur, quoties illa exigit
 hora. Quod ad Vesperas attinet, sciendum est,
 quod cum dicitur pro Antiphona, Alleluia, post
 vbi cantor illud intonauerit, maior in illo choro,
 in quo est hebdomada, psalmum inchoare debet
 primum; & sic deinceps maiores illius chori in quo
 dicta est GLORIA, successiue, ac sigillatim
 psalmos reliquos intonent: Et hic or-
 do in omnibus Monasterijs no-
 stris, & locis obseruetur. Et
 si quis ei cōtrauenire præ-
 sumpserit à superio-
 ribus cohibeatur.

QUALITER DIVINA OPERA
per diem agantur. Cap. XVI.

VT ait propheta, septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius sacratus numerus a nobis sic impiebitur: si matutini: prime: tertiæ: sexte: nonæ: vesperit: cõpletur; que tempore nostre seruitutis officia persoluamus, quia de his horis dixit propheta. Septies in die laudẽ dixi tibi. Nam de nocturnis vigilijs idẽ ipse propheta ait, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus referamus laudes creatori nostro sup. r iudicia iustitię suę idest matutinis: prima: tertiæ: sextæ: nonæ: vesperit: completorio; & nocte surgamus ad confitendum ei.

Cum in hoc sexto decimo capitulo satis clare dicatur, quo pacto Monachi debitum suæ seruitutis obsequium Deo in diuinis laudibus reddere teneantur: illud vnum dumtaxat superesse videre: nimirum ut a nobis insinuetur quanta cum reuerentia, & tremore ad hoc idem obsequium præstandum accedere debeamus. Non enim homini terreno, aut cui vis mundano principi assistendũ nobis est, verum Deo optimo Maximo Creatori, ac omnium nostrum Redemptori. Itaq; sanxerunt Patres ut in omnibus locis, & Monasterijs nostris inuiolabiliter hic ordo seruetur dũ ad persoluendas regulares horas proficiscimur, quas Dominus Pater Benedictus multis in locis, Agenda vocat, quandoquidem hæc debent esse vere negocia nostra & peculiare cura. Quantum igitur ad horam primam (cum iam de Matutino satis dictum sit) toto anno præterquam a prima feria se

tunda Quadragesimam, usq; ad Sabbatum Sanctum, & præterquam in Dominicis diebus, vadant ad eam fratres summo mane hoc ordine. Collectis omnibus ad signum Campanæ extra Ecclesiã, prope pilam aquæ Benedictæ: & ordinate per choros dispositis; factò signo ab eo qui præest, & non ulterius pulsante campana, incant Ecclesiã, dum sacerdos hebdomadarius, uel eo absente, qui dicturus est primam Missam, aut alius accipiens aspersorium, aspergat singulos fratres aqua benedicta in ipso Ecclesiæ ingressu. Qui quidem Monachi, incipiendo a minoribus, debent singillatim ingredi, & dum aqua sancta asperguntur, humiliter inclinare, & submissa voce dicere. Asperges me Dñe hisopo & mundabor &c. Ultimo ingrediatur Prelatus & post ipsum, a'iquantum à longe, hebdomadarius. Cum autem ingressi fuerint Ecclesiã reuerenter inclinent ante Sanctissimum Sacramentum. A'ore autem non esset, si in omnibus locis, quemadmodum in aliquibus est, apponeretur signũ aliquod, ut putalapis marmoreus in ea Chori, uel Ecclesiæ parte, in qua fratres oēs inclinare se debent. Verũ in Quadragesimæ tẽpore nõ aspergatur fratres aqua benedicta, dũ ad Primã vadunt, sed dum ad tertiam, ad alias vero horas Canonicas diei celebrandas sollicitè vnusquisq; pergat: grauitate tamen, & semper se inuicem præuenire studeant. Semper nihilominus aquam benedictam accipiant; Muniantur se signo Crucis, & inclinent profunde ante altare. Si qui autem ante ultimum signum cuiuscumq; horũ


 in chorum conuenerint (quod sane omnes facere deberent) stantes in loco proprio genuflexi, praeparent se ad officium, suas priuatas orationes dicendo. In Dominicis autem diebus, dicta Prima, hebdomadarius sacerdos una cum Accolito, aqua ante Altare maius benedicat, & postmodum uadat cum ea ad aspergendu omnia loca, & officias Monasterij, iuxta antiquas, ac sanctas Patrum nostrorum Consuetudines quas qui amplexi fuerint, optimi, ac Sanctissimi filij habebuntur, & veri Dei cultores; qui uero secus agentes eas contempserint, & pro nibilo habuerint, impij, atq; rebelles censebuntur, ac aeterna digni maleditione & erumna. Hora completorii, facto signo cum campana, conueniant omnes Monachi in claustro vel capitulo, si commode id fieri poterit. Ibiq; facto signo a maiori, & quiescente campana, Accolitus, accepta benedictione, legat lectionem latinam de uitis Sanctorum Patrum, nec nimis prolixam, nec admodum breuem. Qua finita Pralatus dicat Adituriu nostru in nomine Domini, cui responso ab omnibus. Qui fecit caelum, & terram, vadant simul pulsante iterum campana, in Ecclesiam hoc ordine, Nouitij primu. Deinde sinister chorus, postremo autē dexter, ita ut ulti mus sit Abbas, vel qui praest. Qui cum ad locum suum peruenerit, pulset campanula chori (quiescente illa claustri, quousq; silenter omnes dixerint orationem Dominicam. Qua finita Abbas dicat, ET NENOS inducas intentionem &c, & postmodum sequatur confessionem completo-

pletoriꝝ, iuxta ordinem Breuiariꝝ; Sed sciendum est quod dum Generalis fuerit in choro, in confessione, & Prime, & Completoriꝝ, post Misereatur velti, dicere debet, Indulgentiã remissionem &c. & hæc sufficiant quantum ad ingressum chori ad omnes Diuini operis horas diei.

Quantum uero ad egressum, sequendo meliorem consuetudinem, Patres ordinarunt, quod dicta Prima, absq; Salue Regina, & facto signo à Præfato Accolitus cum Martirologio egressus e Choro, vadat ad capitulũ; Ipsumq; fratres lento gradu sequatur, incipiendo à maioribus, ita vt primo dexter Chorus, deinde sinister præcedat, deinde Nouitiꝝ sequantur. Cumq; in capitulum omnes peruenerint, vno quoq; in sua sede manente, ipse Accolitus sumpta Benedictione, pronunciet Calendar, lunam, & sanctos. Et hebdomadarius secundum ordinem Breuiariorum, sequatur Preciosam. Et Completa ultima oratione, ille met Accolitus legat lectionem de homelia Euangelij, quod legitur illo die; Et infra octauas, & diebus feriabilibus, vice homelia, legat latine capitulum de Regula, præterquam infra octauã Resurrectionis, & Pentecostes, quæ quotidie habet homeliam propriam. Atq; in diebus feriabilibus, lecto capitulo Regula, si die sequenti pariter de feria faciendum sit, legatur, Obierunt &c. & tres psalmi nimirũ Domine ne in futuro. i. Credidi, & Deprofandis, cum oratione mortuorum pro patribus, fratribus, & benefactoribus dicantur: Cum vero aliquam ob causam in choro paucissimi essent Mo

nachi, non vadant tum in capitulum, sed dicta vlti-
 ma oratione, absq; pronuntiatione Calendarum,
 lunæ, & sanctorum dicatur Præciosa vt in Bre-
 uarijs est notatum: & postremo brevis lectio le-
 gatur secundum tempora. Postea ille, qui præest
 subiungat; Pone Dñe custodiã ori nostro &c.
 & in fine dicatur. Salve Regina, quæ semper in-
 choari debet à Prælato, aut illo absente, ab eo, qui
 in choro Priorem locum obtinebit. His tamen nõ
 obstantibus, tẽpore Quadragesimali præciosa sem-
 per dicatur (præterquam in Dominicis vel alijs fe-
 stis diebus) post sextã, ob septẽ psalmos. De culpis
 vero infra suo loco dicetur. In omnibus alijs horis
 tam diei, quam noctis in egressu Chori hic ordo
 seruetur. Quod ad Matutinas nemo egrediatur
 e Choro, quousq; Prælatus non surrexerit ab ora-
 tione, quæ post ipsas fieri solet, quæ oratio non de-
 bet excedere longitudinem psalmi quinquagesi-
 mi. Tum egrediantur Monachi vnus post alium,
 cum Modestia, & silentio, & recto itinere ad cel-
 las pergãt: aut si hyems fuerit, ad ignẽ, vbi sub pæ-
 nis grauioribus volunt ea hora, perpetuum serua-
 ri silentium. Post Primam in exitu Monachorum
 de Capitulo, primus sit Prælatus, post ubi silentiũ
 soluerit, sed in egressu chori, primi sint Nouitiũ,
 deinde Chorus sinister, mox dexter, postremo Præ-
 latus: Qui cum omnes fuerint extra ecclesiam, lo-
 co solito, silentiũ soluat, dicendo, Benedicite. At
 in Quadragesima feria secunda, quarta, & sexta
 non soluatur silentium, nisi post officium Mortuo-
 rum, aut, cum non dicitur, post gratias à prandio
 red-

redditas. Dominica uero, feria tertia, quinta, & Sabbato soluat^r post Preciosa. Verum cum non ieiunatur, post sextam egrediatur primo Prælatus, deinde alij, ut unicuiq; libuerit, & non soluat^r silentium, nisi post redditas Gratias. In Completorio, finita Salue Regina, & pulsata Aue Maria à Prælato (qui tantum temporis in pulsando ponere debet, ut fratres ter deuote salutationem Angelicam persoluere possint, & ante quamlibet hunc versū dicere, Deus propitius esto mihi peccatori) egrediatur primo Accolitus, & porrigēs Aspersoriū Prælato reuerēter, eius manū deosculetur, & in partem se conferat. Prælatus uero Monachos sigillatim egredientes à maioribus, aqua Benedicta aspergat. Postmodum, ut supradictum est, pergat ad orationem, & stationes sumendas pro tempore. Ad quam aquam benedictam si potest fieri, cupiunt Patres ut (quemadmodum fit in sacra Eremita, & Camaldoli Monasterio, conueniant omnes, tam Monachi, quam Conuersi, & Commissi, ut simul cum ipsa, Benedictionem à Prælato accipiant, & quietius illam noctem in timore domini traducant. Completorium, & si hora vigesima tertia dici deberet, sit nihilominus in arbitrio Prælati aliquando tempus illud præuenire, ut prout in Dominicis diebus, & alijs præcipuis solemnitatibus ob populi fidelis consolationem, aut aliquam aliam rationabilem causam.

QVOT PSALMI PER EASDEM
horas dicendi sunt. Cap. XVII.

IAm de nocturnis vel matutinis digessimus ordinē
psalmodiæ nunc de sequentibus horis videamus.
Prima hora dicatur in primis versus. Deus in adiuto
rium meum intende. Domine ad adiuuandum me se
stina, & gloria patri. Hymnus eiusdem horæ, & psal
mi tres. Post expletionem vero trium psalmorum, re
citetur lectio vna: versus: & Kyrieleison, & missa sint.
Tertia vero sexta, & nona eodem ordine celebretur,
idest versus hymni earundem horarum. Terni psalmi
lectio, & versus Kyrieleison, & missa sint. Si maior con
gregatio fuerit cum antiphonis: si vero minor in dire
cto psallantur. Vespertina autem sinaxis quatuor psal
mis cum antiphonis terminetur. Post quos psalmos
lectio recitanda est. Inde responsum ambrosianū,
versus: canticum de euangelio: letania, & oratio dom
nica: & sint missa. Completorium autem trium psal
morum dictione terminetur. Qui psalmi directanei
sine antiphona dicendi sunt. Post quos hymnus eius
dem horæ: lectio vna: versus Kyrieleison, & benedi
ctio, & missa sint.

Cum sit omnibus notum, istud capitulum Re
gule, quo ad numerum psalmorum qui dicen
di sunt ad quamlibet horam, in vsu esse, & omni
no seruari; nihil circa hoc innouandum esse pa
tres sanxerunt, sed solum ordinauerunt, quo pa
cto Antiphonæ, & psalmi ipsi sint intonandi. In
solemnitatibus igitur plenissimis, Cantores solem
niter, & in medio decantent inuitatorium cum
psalmo nonagesimo quarto: quibus aliquando ter
tius Cantor ad arbitrium Prelati adiungi possit.
Finito

Finito inuitatorio cum psalmo ille, qui est maior in Choro, ubi est hebdomada, intonet hymnum, sicut perpetuo facere debet ad omnes horas. Deinde a Cantoribus Antiphonę ante psalmos integre dicantur. Et dicta prima, dicatur psalmus a Maiore Chori ubi est signum hebdomadę. Quo absoluto, & repetita Antiphona, inchoetur secunda, & tota dicatur, deinde ut supra psalmus a maiore alterius Chori intonetur. Et sic deinceps vsq; ad finem; Cantoribus dicentibus simul Antiphonis, Abbas, & Prior, vel eorum vicę gerentes, psalmos oēs alternatim intonent. Similiter Cantica, dicta Antiphona a Cantoribus, intonetur a Maiore illius Chori, ubi est hebdomada: & ita in laudibus, psalmus, Deus misereatur nostri, sine Antiphona, & Dominus regnauit cum Antiphona. Et quando in dictis solemnitatibus plenissimis qui libet psalmus laudum haberet propriam Antiphonam, intonato primo a maiore Chori, ubi est hebdomada, sequantur reliquos vicissim illi met, qui psalmos Nocturnorum intonarunt. Hymnus pariter laudum a maiore Chori hebdomadę intonetur. At canticum euangelij, BENEDICTVS Dominus Deus Israel, semper intonetur a choro Pręlati, & ab eo qui pręest. Antiphona horę primę in eiusmodi solemnitatibus plenissimis semper dicatur a cantore, & tota, tam in principio, quam in fine psalmorum. Et idem fiat ad omnes horas in dictis solęnitatibus. Psalmi uero intonētur primus quidem a maiori illius chori, ubi est hebdomada, & alij successiue a maiore illius chori, qui

dixerit Gloria patri &c. præcedētis psalmi; Ad horam tertiam, si cantetur, Antiphona dicatur a toto choro, inchoantibus nihilominus eam Canto ribus. Psalmi vero ab eisdem intonentur. Et ubi, ob paucitatem Monachorum nō possit ita solemniter cantari, intonata Antiphona à cantore hebdomadario, & dicta à toto choro, Sacerdos qui erit in hebdomada, sacris vestibus indutus, psalmos intonabit. Et si nullo pacto cantetur, omnia fiant ut in prima. Et idem quoq; dicimus de hora sexta, & nona. Ad vespervas autem inchoata prima Antiphona à cantoribus, dicatur à toto choro, & psalmi omnes ab iisdem cantoribus intonentur. Secunda Antiphona, ad Maiorem chori, ubi non est hebdomada, pertinebit. Tertia ad maiorem chori hebdomadæ. Quarta ad illum, qui proxime adheret maiori in choro, ubi non est hebdomada. Antiphona vero canticæ euangelicæ, idest ipsius **MAGNIFICAT**, intonetur semper à Maiore totius chori. Et ubi, ob paucitatem Monachorum vespere non ita solemniter possent cantari, nec vllus pluuiali indueretur, nisi Sacerdos hebdomadarius, vel alius vice sui, intonata Antiphona à cantoribus, & tota decantata ab vniuerso choro, dicti cantores etiam si non sint parati, intonent primum psalmum, & subinde reliquos. Antiphonæ vero dicantur ut supra; Et hic ordo non nunquam etiam ad tertiam seruari solet. Quando autem nullus pararetur, nihilominus hoc pacto dicatur. Ebdomadarius, aut alius quicumq;, qui sacris est vestibus indutus, si stet in choro sinistro, semper

pri-

primum locum tenebit, si vero in dextro tenebit
 primum locum post Prælatum domus, & super
 omnes alios, etiam Prælatos hospites, aut titula-
 res. Ad completorium (vti etiam ad primam) cõ
 fessionem semper faciat, qui præst in choro, in
 quacumq; sit parte, Idẽq; Benedictionem tribuat:
 & omnes psalmos completoriũ, & hymnũ semper
 intonet Maior chori hebdomadae, si non cõtatur,
 si vero cõtatur hoc idem faciãt cantores. Et hunc
 ordinẽ insolemnitatibus plenissimis in omnibus lo-
 cis nostris seruari volunt Patres, sub grauibus pœ-
 nis, ad arbitrium Patris Generalis imponendis.
 Quantũ vero ad solemnitates plenas, duodecim
 lectiõnũ & octauarum; Inuitatorium, & Venite
 dicatur à cõtore, & a succentore. Hymnus intone-
 tur a Maiore chori hebdomadae, & etiam primus
 psalmus, post vbi cantor Antiphonã intonauerit;
 secũdas uero psalmus primi Nocturni intonetur
 a Maiore ipsius chori, in quo non est hebdomada.
 Et sic deinceps reliquos psalmos alternatim hi
 duo maiores subcessiue intonent, cantore semper
 inchoante, ante psalmum Antiphonam, & post
 psalmum illam repetente. Quod si laudes omnes
 sub vna Antiphona dicerentur, intonato primo
 psalmo à Maiore Chori, vbi est hebdomada, reli-
 quos omnes intonabit Maior in illo choro, qui pri-
 mum versum Gloriæ dixerit. Antiphona uero
 Benedictus, & intonetur, & dicatur à sacerdote
 hebdomadario. Ad tertiam si cantetur, intonet
 Antiphonam Cantor, & psalmos Sacerdos indu-
 tus sacris vestibus, qui debet cantare Missam: Sed

si non cantetur, psalmos intonet primus in Choro hebdomadae. Ad sextā, & nonam dicat Antiphonas Cantor, & primū psalmū primus chori hebdomadae, & reliquos successiue, qui dixerit Gloria.

Ad vesp̄as intonent primam Anti. Cantor. & psalmum primum maior in choro hebdomada. Secundā vero Antiphonam, Maior Chori, vbi nō est hebdomada: & psalmum is, qui ei proxime adheret. Tertiam intonet is, qui primum psalmum intonauit: & psalmum tertium is, qui post eum sequitur. Quartam inchoet is, qui secundum psalmū ab alio choro intonauit, & psalmum is qui illi immediate adheret. Antiphonam vero Magnificat intonet, vt supra, Maior totius Chori, & canticum ipsum semper intonet, qui ei proxime adiungitur. Et quando in absentia Prælati fuisset Antiphona Cantici inchoata ab alio choro, ea de causa, quia inibi esset Maior, tum canticum inchoare debet, qui præest in choro prælati. Completorium dicatur ut supra.

In Dominicis diebus inuitatorium, & venite à Cantore, & succentore dicatur in medio. Hinnū intonet Primus in choro hebdomada: primā Ant. intonet cātor, psalmum vero primum, qui hinnū. Absoluto primo psalmo, intonet secundū psalmū Primus in Choro, qui Gloria dixerit. Deinde post duos psalmos, repetita à toto choro Antiphona, intonet secundā Primus in choro vbi non est hebdomada, & psalmum is, qui proxime ei adheret. Absolutis vero alijs duobus psalmis, ut supra, et dicta Antiphona, intonet tertiam primus chori hebdomada-

hebdomada, & psalmum qui ei proxime adiungitur. In secundo Nocturno fiat similiter. Verum si loco Antiphonæ dicatur Alleluia, ipsa à Cantore inchoata, primum psalmum incipiat, qui est primus in Choro hebdomada, reliquos vero omnes, Maior illius chori, qui dixerit primum versum Glorix. Quod ad laudes attinet, primam, tertiam, sextam, nonam, vespervas, & completorium fiat, ut dictum est in solemnitatibus plenis.

Quo ad dies feriales, dicto à cantore solo inuitatorio, & venite: & intonato himno à Maiore Chori hebdomada, intonetur ab eodẽ cantore Antiphona prima, & primus psalmus ab eodem, qui intonanit himnum; Secundus vero à Maiore illius chori, qui Gloiram dixerit; Secundam vero Antiphonam dicat minor chori, in quo nõ est hebdomada, & psalmum incipiat maior eiusdẽ chori & sic continentur alternatim minores, Antiphonas, & Maiores, psalmos inchoando. Antiphona laudũ, si vna tantũ erit, intonetur à cãtore, & psalmus primus à Maiore eiusdẽ chori: & alij psalmi à Maiore illius chori, qui Gloria dixerit. Quod si laudes plures Antiphonas habebunt, eas alternatim inchoabunt Maiores vtriusq; chori, incipiẽdo à choro, vbi est hebdomada. Ad primam, tertiam, sextam, & nonam, intonabit Antiphonam cantor, psalmũ vero Maior Chori hebdomada: & deinceps seruetur ordo suprascriptus, & in fine horæ dicatur Antiphona, ut supra. Ad vespervas si die sequenti fiat de feria, dicat primam Antiphonam cantor, psalmum vero Maior illius chori.

Secundum autem, minor alterius chori, & in summa seruetur ordo vigiliarum matutinalium. Quod si die sequenti festum celebretur, non solemniissimum, sed tale quod cantetur solum capitulum vigiliæ; intonabit primam Antiphonam cantor, & psalmum Maior illius Chori. Secunda vero inchoetur à Primo Chori, ubi non est hebdomada, & psalmus ab eo, qui ei proxime vnitur. Tertiam intonet Maior Chori hebdomadæ, & psalmum is, qui illi proximus est. Quartam intonet secundus chori, ubi non est hebdomada, & psalmum is, qui illi adiungitur. Quod si die sequenti celebraretur festum solemniissimum, vespere dicendæ essent, vt supra dictum est de vigilijs solemnitatum plenissimarum.

QVO ORDINE IPSI PSALMI
dicendi sint. Cap. XVIII.

IN primis sæper diurnis horis dicatur versus. Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, & Gloria. Inde hymnus vniuscuiusque horæ. Deinde prima hora dominica dicenda quatuor capitula psalmi centesimi octauo decimi. Reliquis vero horis idest tertia, sexta, & nona: terna capitula supradicti psalmi centesimi octauodecimi dicantur. Ad Primam autem secundæ ferix, dicantur tres psalmi, idest primus, secundus, & sextus, & ita per singulos dies ad Primam, vsque ad dominicam dicantur per ordinem terni psalmi vsque ad nonum decimum psalmum: ita sane vt nonus psalmus, & septimus decimus partiantur in binas glorias: & sic fiat, vt ad vigiliam dominicam semper a vigesimo incipiatur. Ad tertiam vero sextam, & nonam secundæ ferix nouem capitula quæ residua sunt de centesimo octauo decimo psalmo, ipsa terna capi-

capitula per easdem horas dicantur. Expenso egro psalmo centesimo octauodecimo duobus, diebus idest dominico, & 2. feria, tertia feria, iam ad tertiã, sextã, vel nonam psallantur terni psalmi a centesimo nono decimo vsque ad centesimam vigesimum septimum, idest psalmi nouem. Quique psalmi semper vsq; ad dominicam per easdem horas itidem repetantur: hymnorum nihilominus lectionum, vel versuum dispositione vniformi cunctis diebus seruata: & ita scilicet vt semper dominica a centesimo octauo decimo incipiatur.

Vespera autem quotidie quatuor psalmodiarum modulatione canatur. Qui psalmi incipiuntur a centesimo nono vsq; ad centesimum quadragesimum septimum: exceptis his qui diuersis horis ex eis sequestrantur idest a centesimo decimo septimo vsq; ad centesimum vigesimum septimum, & centesimo trigesimo tertio: & centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in vespera dicendi sunt. Et quia minus veniunt tres psalmi, ideo diuidendi sunt qui in numero supradicto fortiores inueniuntur, idest centesimus trigessimus octauus, & centesimus quadragesimus tertius: & centesimus quadragesimus quartus. Centesimus vero sextus decimus, quia paruus est, cum centesimo quinto decimo coniungatur. Digesto ergo ordine psalmodiarum vsque ad septimum, reliqua: idest lectiones, responsoria, hymni, versus, vel cantica, sicut supra taxauimus, impleantur. Ad completorium vero quotidie iisdem psalmi repetantur, idest quartus nonagesimus & centesimus trigessimus tertius.

Disposito ordine psalmodiarum diurnarum, reliqui omnes psalmi, qui super sunt æqualiter diuidantur in septem nocturnum vigiliis: partiendo scilicet, qui inter eos proximiores sunt psalmi, & duodecim per vnãquamque constituentur noctem. Hoc præcipue componentes, vt si cui forte hæc distributio psalmodiarum displicuerit: ordinet si melius aliter iudicauerit; dum modo ordinis id attendatur: vt omni ebdomada psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmodiarum

psallatur, & dominico die semper a capite repetatur ad vigiliis. Quia nimis iners deuotionis suæ seruitiū ostendunt monachi, qui minus psalterio cum canticis consuetudinarijs per septimanæ circulum psallunt, cum legamus, sanctos Patres nostros vno die hoc strenue implere, quod nos tepidi vtinam septimana integra persoluamus.

Cum nulla egeat declaratione presens capitulum; quoniā vti ab omnibus videri potest, ipse ordo psalmorum, quem ponit in Breuarijs satis superq; clarus est, & apertus: illud tantummodo Patres hac in parte, nostros ante oculos ponere statuerunt; nimirum eos omnes professos mortaliter peccare, qui non legitime impediti, officium tam ipsius domini, quam Matris eius, vel in totum, vel in partem scienter dicere omittunt. Hoc est enim contra veterem, & laudabilem consuetudinem, tam heremitarū, quam Monachorum nostræ congregationis, qui semper vtrūq; officium persolvere, & deuote celebrare conati sunt. Nec excusatur aliquis, si cum alijs in choro non intersit, quia illud extra chorum ex se non minori deuotione tenetur dicere. Similiter declarant idem Patres, ac volūt quod quilibet teneatur dicere officium Mortuorum, secundum, quod in Breuarijs notatum est. Hortantur præterea omnes, ac singulos ut lectionē psalterij (ultra debitas horas) frequentare studeant, ita vt bis saltem singulo quoq; mense ipsum psalterium integre dicatur, siue legatur ab vno quoq; Monacho. Cum ob multas sanctorum festiuitates, singula quaq; hebdomada, id fieri in diuinis officijs ordinate, nullo pa-
cto

Et queat. Qui igitur in persolutione horarum canonicarum, & virginis negligentes inuenti fuerint, grauius, ac seuerè puniantur sintq; omnibus deuotis Monachis in exemplum; ut debitum Deo famulatum in himnis & orationibus statutis horis reddere nullatenus omittant.

DE DISCIPLINA PSALLENDI
Cap. XIX.

VBique credimus diuinam esse præsentiam: & oculos domini in omni loco speculari bonos, & malos. Maxime tamèn hoc sine aliqua dubitatione credimus cum ad opus diuinum assistimus. Ideo semper memores simus quod ait propheta. Seruite domino in timore, & iterum. Psallite sapienter, & in conspectu angelorum psallam tibi. Ergo cõsideremus qualiter oporteat nos, in conspectu diuinitatis & angelorum esse, & sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.

ET si capitulum hoc Regule diui Patris Benedicti, quantum ad prolationem verborũ, breue admodum uidetur atq; angustũ; sunt nihilominus quelibet verba ipsius tantæ doctrine, ac substantiæ plena, atq; referta, ut satis clare, ab omnibus in illis uideri possit, quãto timore, ac tremore, quãta reuerẽtia, & humilitate Monachũ in cõgregatione manere oporteat; & omni humana affectione denudatũ, corã Deo psallere, et orare. Itaq; quoniã non nulli propria uolũtate, ac spiritu ducti nõ ea qua debent grauitate, ac modestia corã Deo in persoluendis Diuinis laudibus manent: volẽtes huic defectui Patres occurrere, ordinauerunt in primis

primis, vt deinceps nullus Monachus tam in aestate quam in hieme, absq; cuculla in ecclesiam pergat. Ita enim, & Patres nostri in heremo, & Monachi obseruantes in congregatione semper facere consueuerunt. Quam sane cucullam induere Monachi debent, vel in ipsa cella, vel in aliquo alio comuni loco, vbi seruari solent: minime vero in ipso ad Ecclesiam itinere, cum hoc indecens videatur. Audito subinde principio vltimi signi cāpanæ, omni alio negotio posthabito, cum modestia, & grauitate ad Ecclesiam pergant, & ita oculos cundo habeant humi defixos, vt nil aliud cernant, quam vbi pedes ponunt. Et si quam Dei ac sanctorū imaginem, & præsertim Crucifixi, & Virginis offenderint, reuerenter, ut decet, inclinent. Illud verò nullo pacto est prætereundum, quod si pulsato vltimo signo, ad Nocturnas Vigilias, aut ad horā diei Primā, vel tēpore meridianæ dormitionis, ad horā Nonā aliquis Monachus non occurrerit, tum iuxta laudabilem Heremi nostræ cōsuetudinem, atq; cōstitutionē, debet Abbas aut Prior alicui fratri cōmittere, vt celeri, ac honesto gradu ad cellam fratris illius accedat, ut si forte dormiens, signū non audierit, illum à somno excitans ad Diuinum officium conuocare studeat. Cum ad portam igitur Ecclesiæ Monachus peruenit, accepta aqua Benedicta, & munito se signo Crucis, ingrediatur. Et cum ad locū, vbi solent fratres inclinare, accesserit, profunde ante sacratissimi Christi Corpus, ac reuerentissime inclinet caput, ferè vsq; ad genua dimittendo. Quam inclinationem

nationem facere teneamur quotiescumq; ante sacrum Christi Corpus transimus. Ante vero homines, & coram patribus non ita profunde est inclinandum; tametsi honor, quem eis impendimus non nisi tanquam Dei Ministris, & ad eius honorem impendimus. Nullus præterea Ecclesiam ingrediat, nisi nudato, & aperto capite. Nullus sedeat, nisi dum lectiones in nocte leguntur, & ad nocturnos, & laudes Mortuorum, vsque ad Laudate Dominum de cælis. Similiter dum cantatur epistola in Missa, & dum pulsantur organa inter psalmos vespertinos, & in Missa ad Graduale, & offertorium. In Noctē Nullus audeat ante Benedictionem, quæ fit ante lectionem, sedere. Et dum Prælati, quavis de causa, in choro steterit ipse (etiam si tum sedendum esset) nullus sedere audebit, nisi ille hoc præcipiat. Curent quoq; Monachi, ne eleuando, aut deponendo sedilia, strepitum faciant, & impediant quominus recte percipiantur verba legentis, tametsi lector non debeat lectionem inchoare, nisi postquam fratres quiete sederint. In capitulo itidem ad lectionem Preciosæ, & in sero ad lectionem Completorii sedent, post datam benedictionem. Monachi, qui sunt in illis partibus Chori, quæ non directe respiciunt Altare maius, stent semper vultibus inuicem uersis: nimirum chorus contra chorum: præterquàm in inceptione cuiuslibet horæ, quoniam tunc usq; ad Gloria patri &c. uersus altare respicere habent. Item dum psalmus Nonagesimus quartus cum inuitatorio dicitur. Item dum legitur Euan-
gelium

gelium. Item dū aliquis capitula, Responsoria, versiculos, orationes, et id genus, tā in officio Domini, quā Beatę Virginis pronunciauerit, ipse solus uersus Altare faciem conuertere debet. In omnibus alijs tēporibus, etiam quādo Monachi in choro inclinant, aut genuflectunt, debēt se inuicem respicere; & chorū contra chorū stare. Dum autem quis in choro præsolatatur signū ultimum intra uanum suę sedis genuflectens, faciē debet uersus Altare habere. Ceterum, quando stare, aut genuflectere Monachi debeant; sanxerunt Patres cōformiter ad sacras nostras consuetudines debere genuflecti in diebus ferialibus semper, dum dicitur Pater noster, & Symbolū, siue ante Altare Maius, siue in choro, ante horas canonicas. Itē quando post chirieleison in fine horę repetitur, & similiter quando sit confessio in prima, & cōpletorio. Circa quā confessionem, præcipiunt Patres ne quis præsumat, uel uerbum unum de illa immutare, sed omnes sequantur formam in Breuarijs nostris adnotatā: & in Missis formā præcise in Missalibus expressam. Item genuflectere debemus diebus ferialibus dum dicuntur collectę, excepto ipso hebdomadario, dū orationē seu collectā dicit. Item ad orationes mortuorū: & in Quadragesima, dum letanię, & præces dicuntur. At uero dum Salue Regina cantatur, uel dicitur sine notis ad completorium, genuflectant omnes, & genuflexi perseuerent quo usq; Prælatus se erigat; Et tum stando omnes, nullus parieti aut tabulato hereat, sed modeste omnes, ac humiliter, & denote mancant. Finita au-

Pr. Ant. Conf.

Confession.

tem Salve ad orationem profunde inclinent. At vero alijs Divini officii horis dum non cantatur ipsa Salve, sed sine notis dicitur semper genuflexi esse debemus, & sic dum dicitur post laudes Matutinales, & completorium Ave Maria. Cantari vero debet Salve regina omni sabato, vigilijs, & solemnitatibus plenis, ac plenissimis.

Quod ad Missas, si non cantentur, qui illas audiunt semper debent esse genuflexi, excepto dum dicitur Evangelium. Si vero cantentur, & sint ferialia, aut Mortuorum genuflectere debemus ad orationes, & ab elevatione Corporis Christi, usque dū dicitur Agnus Dei. In Missis vero alijs ad orationem inclinamus profunde, & genuflexi manemus ab elevatione hostiæ usq; ad Pater noster exclusivè. In Missis autem Beate Virginis genuflectimus etiam ad Salve Santa parens: dum incipitur prima vice, & dum postmodū, repetitur. Itē genuflectere debemus cū dicitur, Ave Crux spes unica, Veni sancte Spiritus, in Missa, & vesper, ad Veni Creator Spiritus: O Salutaris hostia; & Tantū ergo Sacramentū in himno corporis Christi. Ad ea igitur, in quib; diebus ferialibus genuflectimus; in diebus solemnibus, & Dominicis, tātumodo inclinamus profunde: sicuti etiā ad primū versum omnium Gloriarū, & ad ultimū versū cuiuslibet himni, tam Domini, quā sanctorū, & ad Maria Mater Gratiæ. Inclinamus etiam dum profertur nomen I E S U, ac Beatissime Matris eius, dum dicitur Ave maris stella, dum cantatur Sāctus, Sāctus, Sāctus, ipsius Te Deū laudamus

Sed

Sed a choro dumtaxat qui tacet: Ad te ergo que sumus Domine: Ad Fiat misericordia tua domine: Ad Gloria in excelsis: Ad Adoramuste, & Gratias agimus ipsius Glorif: Ad Suscipe de præcatione nostram: Ad Tu solus altissimus Iesu Christe: Ad uersus etiam psalmi, Et veniat super nos misericordia tua Domine, & Suscipe me secundum eloquium tuum, & viam, de uote inclinare debemus.

Capite uero discooperto, manere debemus in ecclesia ad Gloria patri, & ad ultimos uersus hymnorum, Ad Euangelium: Ad Benedictus Dominus Deus Israel: Ad Magnificat: Ad Nunc dimittis: Ad symbolum Athanasii: Ad Te Deum laudamus: Ad Pater noster: Ad Ave Maria: Ad confessione: Dum dicuntur capitula, orationes. Ave Maris stella, & Responsorialia laudum, & vesperarum: In Missis, que audiuntur, ab eleuatione hostiæ usq; dum manet super Altare. Similiter quando vnus, uel plures pronunciant quippiam in choro, etiam si ad illud non esset standum capite aperto, ille uel illi debent nihilominus detestato capite sistere. At uero in locis frigidis à festo omnium sanctorum usq; ad festum Annuntiationis permittitur, ut medio dumtaxat capite discooperto ad omnia antedicta (excepto Euangelio, Pater noster, Ave Maria, & Salu: Et dum Christi Corpus eleuatur) Monachi maneant: & exceptis etiam ijs, qui soli aliquid in choro dicunt: ij enim capite integre nudato semper stare debent.

Danda uero opera est, ut in genuflexionibus, inclina-

clinationibus, & eiusmodi, semper quoad fieri potest, simus uniformes: ut omnes simul inclinent, & omnes simul surgant. Indecens siquidem est, & indecorum videre hunc inclinantem, & simul aliū surgentem, istum usq; ad genua, illum uerò magis, aut minus profunde, eodem in choro procumbere, & inclinare. Qui sane abusus inde oriri certum est, quoniam Prelati & alij, ad quos spectat, has inobseruantias emendare dissimulant, & conuiuent, ne cui corrigendo, displiceant. Cæterum in choro summum silentium imperant, ita ut omnes non solum à locutione non necessaria caueant, uerum etiam ab omni alio quocunque strepitu, præcipue uero cum aliquis solus legit, aut cum silenter omnes orant, uel Euangelium legitur.

Quod ad psalmodiã cõmendant, ut dicatur uoce sonora, & intelligibili, omnes simul incipiant uersum, & perficiant, nõ protrahendo uocem: & in medio uersuum semper fiat competens pausa, siue punctus: Et omni quidem tempore regulare officium aliquantulum morosius, quam illud beatissimæ Virginis est dicendum: Et ipsum beatæ Virginis morosius persoluendum, quam uigilie mortuorum. Semper tamen unumquodq; ipsorum deuote, ac reuerenter, & cum pausis peragatur.

Quod ad cantum figuratum, seu musicalem, Patres uolunt omnino esse interdictum, non solum in choris nostrarum Ecclesiarum, ita ut nullo pacto permittatur, sed etiã in omnibus locis ubi adsint seculares cuiusuis conditionis, & gradus: & consequenter, ut nulli liceat pueros, uel alijs, præter nostri

de psalter?

nostri ordinis, artem musicam docere. Qui autem
 Prælati secus egerint, vel cõtra fieri permiserint,
 careant actiua voce in sequenti capitulo, & Mo-
 nachi à Patre Generali, & visitatoribus grauius
 puniantur. Nolunt præterea, vt in Monasterijs
 nostris haberi possint instrumenta quæcumq; mu-
 sicalia, præter organa, & his similia, vel eis deser-
 nientia. Vetant itaq; lentos, citharas, liras, & id
 genus reliqua; Permittunt uero quos dicunt mo-
 nocordos Grauescimbalos, & huiusmodi, quæ mi-
 nus dedecent religiosum uirum. Qui uero huic cõ-
 stitutioni cõtrauenire præsumpserit, ad arbitrium
 Prælati grauius puniatur. Omnia uero hætenus
 in hoc capitulo enarrata studebunt Prælati in-
 uiolabiliter ab omnibus obseruari facere. Quo-
 niam indiuisis laudibus persoluendis, non solum
 ipsa Anima huiusmodi operi intenta esse debet,
 uerum etiam, & corpus, ut cum Propheta dicere
 ualeamus. Cor meũ, & caro mea exultauerunt
 in Deum; Rationi præterea congruum est, ut ea
 quæ intus latet in anima deuotio, exterius quoq;
 in ipso corpore appareat, ut hoc pacto luceat lux
 nostra coram hominibus. Adde postremo, quod
 cum corpus ipsum quandoq; futurum sit gloria
 Animæ, suo modo, particeps, & consors; labo-
 rum quoq;, ac meritorum comes, ac socius esse
 debet. Itaq; uterq; homo interior, & exterior,
 Deo optimo maximo inseruire debet, quoniam
 uterq; redemptionis est particeps.

DE REVERENTIA ORATIONIS.

Cap. XX.

I cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate, & reuerentia: quanto magis domino Deo vniuersorum cū omni humilitate & puritatis deuotione supplicandus est? Et non in multiloquio; sed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo breuis debet esse & pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis diuinæ gratiæ protendatur. In conuentu tamen omnino breuietur oratio, & factio signo a Priore, omnes pariter surgant.

Putantes Patres, quod ubi in hoc uigesimo capitulo sermo habetur de Reuerentia orationis, intelligi debeat de orationibus priuatis, & nō de officio Regulari, cum iam in superioribus capitulis fusius de ipso disertū sit: Iudicauerunt non esse ab re hoc loco de oratione tractare. Quoniam uero illa cūctis præstat, quæ sit in sacrificio Missæ ab ea exordium sumatur. Cum itaq; indignissimū sit, ac omni aduersione dignum, cum aliqua peccati letalis macula ad tantum sacramentum accedere; præcipiunt Patres omnibus, ac singulis Monachis nostræ congregationis, ut nullo pacto celebrare audeant, vel priuatim Comunionem accipere, nisi prius sacerdoti peccatorum omnium confessionem fecerint. Quod si nullius peccati mortalis fuerint sibi consci, volunt nihilominus Sacramentalem confessionem à celebrantibus saltem bis in hebdomada, à non celebrantibus ad minus semel fieri. Et si

H quis

quis fratrem suum in aliquo se offendisse deprehēdat, meminerit iuxta præceptū Euāgelicum prius cum illo reconciliandum. Celebraturus igitur, uel comunione acceptur^o, post ubi cōfessus fuerit peccata sacerdoti intra cubiculum suum, saltem cordis, se se recipiat, ibiq; recogitet in amaritudine annos suos, deploret ignorantia propriam ingrati tudinem, tepiditatem: Abluat lacrimis cubile conscientie sue, oret, meditetur, & cum omni deuotione se præparet. Et qui nullam aliam præparationem sciret, legat eam, quam docent Missalia nostra, quam etiam uolunt ab omnibus memoriæ comendari. Celebraturus itaq; ac etiam hebdomadarius, egrediens è choro primum omnium genuflectat, uel inclinet ante Altare maius, dicatq; ter, muniēs se signo Crucis Deus propitius esto mihi peccatori, & orationem Domine Iesu Christe propitius esto &c. ut in Missalibus. De inde sacrarium ingrediens manus abluat: & sacris uestibus de more se induat. Quod si chorus esset positus post maius Altare, uel altiori loco collocatus, nihilominus sacerdos prædictas orationes, Deus propitius esto mihi peccatori &c. dicere debet, saltem in ipso Choro, appropinquans se Altari quantum potest.

Private Missæ nō ita celeriter dicantur, ut sint quemadmodum vulgo fertur, Missæ pro venatoribus. Id enim indecens est, & omni vituperatione dignum. Morose igitur, & uoce nec nimis alta, nec nimis submissa legantur. Curemusq; in illis, magis Deo, quam hominibus, parum deuotis, placere

Ha
de missis
privatis

cere : tantumq; sacramentum, ea qua conuenit fide puritate, ac reuerentia, peragamus. In festis plenissimis teneatur Prælatus cantare Missam: eo autem absente, uel impedito, qui maior est post illum. Diacones & Subdiacones ministraturi, teneantur & ipsi ante, confessionem facere peccatorum ad aurem Sacerdotis. In Dominicis diebus aquam Benedictam dabit ante tertiam hebdomadarius; Accolitus uero ordinarius epistolam canet.

Orationes in Missis non ad libitum, sed prout signantur in libro, dicantur. In octauis, & vigiliis, & in Quadragesima, cum plures celebrant, de sunt Missæ, post tertiam dicatur Missa currens, post nonam uero Missa uigilie. In octauis seruetur ordo Missalium. In Quadragesima, feria secunda, quarta, & sexta cantetur Missa propria illius diei post nonam, nisi forte esset festum, de quo faciendum esset officium. Quoniam in tali casu ad tertiam debet fieri, & cantari de sancto: & ad Nonam postmodum dicenda est Missa de feria. At qui feria tertia, & quinta regulariter fiat de requie, siue de Mortuis, iuxta obligationes Monasterij, aut pro benefactoribus. In sabbatis semper cantetur Missa de Beata Virgine, & ad Nonam sine cantu, dicatur Missa de feria. In Missis celebrandis omnia pœnitentia fiant, ut in Missalibus notatum est. Nec aliquis præsumat circa, Gloria in excelsis, aut Credo, aut alia, quicquam ad libitum innouare. In omnibus solemnitatibus plenissimis uesperæ so-

De ora dicenda
 seu cantandi
 missam.

lemniter cantentur. Item in Dominicis, & festi-
 nitatibus plenis, & qua seruatur in ciuitate, qua
 nis non ita solemniter: & in his pulsentur organa
 praeterquam in Aduentu, & a septuagesima usq; ad
 Pascha. In festis Duodecim lectionum quotidie
 cantetur capitulum, & in Quadragesima quando
 non cantatur Missa ad Nonam, cantetur capitu-
 lum feriae: & completorium cantetur in omnibus
 vigilijs, & diebus ipsis paschalibus, & titulis Ec-
 clesiae, & in solemnitatibus Beatae Virginis. Qui-
 bus omnibus officijs, siue cantentur, siue dicantur
 sine cantu, sint semper praesentes Monachi, non
 minus animo, & mente, quam corpore, & voce.
 Et quoniam cultus hominis exterior in his, quo
 Dei sunt plurimum iuuare solet ipsum internum:
 ea propter Monachi si cupiunt vere esse deuoti,
 studeant ad vnguem ceremonias externas vbiq;,
 & in Ecclesia, & choro praesertim, seruare. Me-
 minerint quoque Praelati, propter honorem Dei,
 & consolationem secularium, diebus octo ante
 hebdomadam sanctam publicare facere tabulam
 officiorum, & eorum, quae cantanda sunt: vt
 vnusquisq; preparare se valeat ad ea, quae actu-
 rus est. Idem quoq; fiat in Natiuitate Domini
 & similibus solemnitatibus. Verum quia non in-
 tegre suo fungitur officio ille Monachus, qui non
 nisi statutis ab Ecclesia canonicis horis Deum
 deprecatur: neq; etiam fieri potest, ut quispiam
 vita spirituali, absq; orationibus uiuat, sicuti nec
 vita corporalis absq; alimentis traduci potest.
 Hortantur Patres, immo praecipunt omnibus &

flagulis Monachis, & Conuersis noſtra congrega-
tionis, ut ſingulo quoq; die, ſaltem per dimidiam
horam, mentaliter orare uelint, & loco, & hora
quibus eius magis uiſum fuerit; patienter tamen,
ut ab alijs uideri poſſint, uel ante ſacratiffimam
Euchariftiã, uel in aliqua capella, ſeu oratorio. Vt
hoc pacto alter ſit alteri in exemplum. Qui uero
aliqua de cauſa mēt aliter orare nō poſſet, uel ne-
ſciret, permittunt, ut illud idem tempus in psal-
modia, uel in aliqua alia uocali oratione conſume-
re queat, ſemper nihilominus genuflexus manens.
Prælati autem erit obſeruare eos, qui circa hoc
negligentes extiterint, & eos corripere pro qua-
litate tranſgreſſionis. ipſe nanq; Deo redditurus
eſt rationem de ſua, & gregis ſibi commiſſi uigi-
lantia.

DE DECANIS MONASTERII.

Cap. XXI.

SI maior fuerit congregatio, eligantur de ipſis, fra-
ſtres boni teſtimoniꝝ & ſanctę conuerſationis: & cō-
ſtituantur Decani: qui ſollicitudinem gerant ſuper de-
canias ſuas in omnibus ſecundum mandata Dei, &
pręcepta Abbatis ſui. Qui Decani tales eligantur, in
quibus ſecurus abbas partiatur onera ſua. Et non eli-
gantur per ordinem: ſed ſecundum uitę meritum &
ſapientię doctrinam. Quod ſi quis ex eis aliqua forte
inflatus ſuperbia repertus fuerit reprehendiſſibilis, corre-
ptus ſemel & iterum & tertio, ſi emendare noluerit
deiciatur, & alter in loco eius qui dignus ſit ſubroge-
tur. Et de præpoſito eadem conſtituimus.

Considerans discretissimus pater, Dei famulus
 Benedictus, quod quemadmodum fieri nequit
 ut praesidens Navis, vel Dux exercitus omnia
 munia, & navigationis, & belli ex se ipsis solis
 adimplere possint; ita neque Praelatus omnibus
 Monasterij muneribus nequaquam solus fungi po-
 test: in hoc capitulo dicit Praelatum inter alios co-
 adiutores de quibus infra, debere constituere sibi
 Decanos, qui auxilium praestent, & sibi in omni-
 bus fauceant, & assistant. Hac itaq; occasione
 statuerunt Patres, vt Praelatus quam citissime,
 post generale vniuerse congregationis capitulum
 singulo quoq; anno, ordinet suum Monasterium,
 distribuendo officia, & obedientias: & preser-
 tim eiusmodi Decanos instituat; qui omnino ab ip-
 so ita dependeant, vt possit eos ad libitum am-
 uere, & alios in eorum locum subrogare: semper
 tamen timorem Dei pra oculis habens, & quod
 utile est Monasterio, omni post habito respectu co-
 gnationis, vel amicitiae. Ii enim ad huiusmodi gra-
 dum sunt euehendi, qui virtutibus clarent, fulgent
 obseruantia, & rerum agendarum sunt periti. Et
 hoc pacto intelligi debet, qd dictum est supra: videli-
 cet Quod Praelatus potest aliquem ad locum alio-
 rum, quam ei competat per professionem, promoue-
 re: nimirum ad gradum Prioratus, vel Decanatus
 eum eleuando. Collectis itaq; in vnum omnibus suis
 Monachis in capitulo (re tamen ipsa secum prius,
 & cum senioribus mature considerata) declaret,
 & publicet, quem eligat, si est Abbas in Priorum,
 & si est Prior in Superiorum: Deinde Decanum,

unum, uel plures, iuxta numerum Monachorum, mox Sacristas, Auditores confessionum, Infirmarios, Hospitarios, Oslarios, Dispensatores, ac cellarinaria Præpositos, reliquos deniq; omnes Monasterij officarios. Declaret itidem quã authoritatem uelit habere confessarios, & quos casus sibi, iuxta antiquam consuetudinem reseruet.

Et quoniam hic specialiter de Decanis agitur, sciant propriũ illorum officium esse, dare operam ut uigeat, & conseruetur obseruantia in Monasterijs. Quod sane melius efficere nequibunt, quam exemplo, & re ipsa: nimirum, ut prius ipsi studeant cuncta ad unguem obseruare, & facere. Sic enim poterunt postmodum alios uerbis docere, & corrigere audacter, absq; timore, ut eis dicatur, Medice cura te ipsum. Curent silentium seruari in Choro, in Dormitorio semper, ac omnibus alijs in locis, iuxta Regulam, & ordinationes. Si quem delinquentem inuenerint, semel atq; iterum eum priuatim corrigant cum charitate, quod si tertio in illud idem lapsum cognouerint, rem Prelato deferant. Et hoc intelligi debet de defectibus minus grauibus, & qui non uergunt in scandalum, & periculum Animarum. Nam tunc non sunt tot correptiones præmittendæ, sed statim denunciandum, non solum ab ipsis Decanis, uerum & quocumque Monacho ipsi Abbati: ut remedium quantocius adhibeatur. Nec esset nisi rationi, & interpretationi nominis consonum, quod uniuersique Decano ab Abbate Denarius numerus Monachorum assignaretur, quibus potissimum in

vigilaret, & quos specialius custodiret. Sciant de niq; Decani, se esse quodammodo Abbatis oculos: ac propterea inuigilare debere super his, quæ ipsemet semper curare non potest: quemadmodum & Prior, qui est dextera eius, & Camerarius, qui est sinistra, pariter illi presto in omnibus esse debent. Et hi, Decani videlicet, post Abbatem, & Priorem omnes alios etiam maiores secundum professionem antecedere debent.

Quod ad Confessores, seu confessarios electos, seu eligendos, ac deputandos à Prælati, declarant, quod nec ipsi, nec alius qui vis Monachus, etiam in dignitate constitutus, neq; in Monasterio ubi moratur, neq; in alio, possit, sub grauiori pœna, quampiam Monachum sine licentia Prælatis, cui subditus est Monachus confitens, absoluerè ab aliquo peccato, ex his quæ sibi Prælatus referuauit. At qui monent Prælatos, ne sint in reservatione casuum, ut plerumque à non nullis fit, curiosi, aut nimis scrupulosi, sed eos dumtaxat casus sibi referuent; qui sunt alicuius considerationis, & grauitatis, ut puta contra vota principalia, & similia.

Vt autem non videantur laqueum animabus iniicere, cum fuerint requisiti aliquando ab aliquo confessore de relaxanda sibi sua auctoritate, pro satisfactione conscientie alicuius sibi confiteri volentis, vel iam confessi, non sint difficiles indando eiusmodi facultatem absq; inquisitione aliqua, qui nã ille, & quo nam pacto irretitus sit. In decens enim, ne dicam impium, esset hoc ab eo, qui

qui non nisi in confessione scit, curiose disquirere. Immo uero uolunt ad salutem Animarum; & ne quis ob rigiditatem prælatorum diutius in peccato moram traheret; ut ante Pascha Natalis Domini. Resurrectionis, & Pentecostes, per aliquot dies, unusquisq; Abbas, seu Prælatus aliquos paucos nominet discretos, & seniores, qui ab eisdem casibus sibi reseruat, pro illa tantum vice absolueri possint. Idemq; nõ nisi rationabiliter fieri etiã posset ante festum omnium sanctorum. Annunciationis Mariæ Virginis, & Assumptionis. Itẽ cum iubileus aliquis à sanctissimo Domino mittitur, tamet si ubi maior lumen est, non videatur opus esse minori.

QVOMODO DORMIANT Monachi. Cap. XXII.

InguLi per singulos lectos dormiant. Lectifisternia Spro modo conuersionis secundum dispensationẽ Abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant. Si autem multitudo non finit, deni aut uiceni cum senioribus suis, qui super eos solliciti sint, pausent. Candela iugiter in eadem cella ardeat usq; mane. Vestiti dormiant, & cincti cingulis aut funibus, & cultellos ad latus non habeant dum dormiant, ne forte per somnium vulnerentur dormientes. Et parati sint monachi semper, ut facto signo, absq; mora surgentes festinent inuicem se prauenire ad opus dei, cum omni tamen grauitate & modestia. Adolescentiores fratres iuxta se non habeant lectos, sed mixti sint cum senioribus. Surgentes uero ad opus Dei inuicem se moderate cohortentur propter somnolentorum excusationes.

Quan-

Quantum ad modum dormiendi Monachorū,
 interpretantes hoc capitulum Regulæ
 declarāt Patres, quatenus dicitur. Si fieri potest
 omnes in vno loco dormiant, per illū locū, Dor
 mitoriū comune intelligi debere. Extra quod sub
 grauibus pœnis nulli omnino dormire liceat: exce
 ptis infirmis, & qui curam rerum extra illud ha
 bent, & hi cum licentia Prælati. In dormitorio
 sint omnes cellæ ab inuicem parietibus diuisæ, &
 nemini liceat in aliam cellam, quam in propriam
 sub grauibus pœnis ingredi vllō tempore: excepta
 cella Abbatis, ac Prioris: quas omnes ingredi li
 bere possunt. Similiter excipitur cella Magistri
 Nouitiorum: ea videlicet ratione, ut possint ipsi
 Nouitij eam ingredi omnes, pro dubijs interrogā
 dis aut accipiendis cōsilijs, & huiusmodi. In dicto
 Dormitorio in nocte continue ardeat lāpas vna,
 vel plures, iuxta magnitudinē dormitorioj. In cellis
 sit supellex dūt axat necessaria, videlicet simplex
 lectulus ex ligno, saccus palarū, siue stramentum
 & ob senes, ac debiles permittitur culcitra tomen
 ti lanei: plumeas vero culcstras, omnino à Dormi
 torijs nostris Patres excludunt, ac omnino probi
 bitas esse volunt. Præterea habeatur in qua vis
 cella, ac lectulo cervical laneum, & puluinar plu
 meum ex crassiori tamen pluma. Linteamina si cō
 mode fieri potest, sint ut olim, lanea, sin minus, sal
 tem ex crassiori panno lineo, omnino cōficiantur,
 lodix postremo, siue stragulum, seu coopertorium
 aliquod religiosum habeant. Caterum, & si vo
 lunt Patres, ac præcipiunt Monachos iuxta Re
 gulam

gulam indutos dormire tamen quia *Monasteria* nostra e siluis, & desertis locis ad amenitates Urbium, cum nostro non mediocri despendio sunt translata, ubi in aestate calores sunt multo maiores, quam in prædictis locis Siluestribus: & quia etiam, uti experientia docet, complexiones sunt multo, quam antea debiliores: ea propter declararunt, ut à festo omnium sanctorum, usq; ad *Quadragesimam* cum his indumentis esse dormiendum, videlicet cum tunicula laeua; quam volunt tantæ esse longitudinis, ut ad cavillam ferre pedum descendat: cum eo sago, quod dicimus *Guardacuore*: quod infra genua, vel ad medium usq; cruris perueniat; & postremo cum habitu ipso cincto atq; caputio. Et si quis inuentus fuerit hunc ordinem non seruasse; ut parum obseruantia cupidus, & indignus nomine religiosi, ingratusq; de sua vocatione *Monachus*, grauiter puniatur. Qui vero repertus fuerit uti lineis ad carnes, ut puta indusiis siue camistiis, in pœnam sit priuatus voce actiua, & passiuâ ad annum, & *Tunicula* ipsius anni. Neq; vero liceat alicui, quacumq; de causa exire extra cellam cū habitu nocturno, sed semper cum diurno ipso vestitu, vel saltem cum cuculla. Ultra vero prædicta sit in qualibet cella paruum, ac simplex altare, cum imagine *Saluatoris*, aut *Beate Virginis*. Item scamnum aliquod siue *Tabula*, super quâ, & libros ponere, & scribere queat; *Arca* similiter, seu capsâ, in qua pannos, seu vestimenta seruare possit. Habeat quoq; vnaquaq; cella lucernâ, *Atramentarium*.

Vas aqueum, & pollutum ad ablucendas manus, & linteam ad extergendum. Cum autem aliquis Monachus cellam mutauerit (quod tamen absq; licentia Prælati facere nequeat) nil prorsus inde asportabit, Sed ijs rebus utatur, quas in noua cella inuenerit. Nullus autem habeat capsam, aut quidpiam aliud in cella, sera & clauis ita obfirmatum, aut clausum, ut a Prælato non valeat aperiri; Similiter & dum quis extra cellam egreditur, claudat, sed ita tamen, ut si Prælatus voluerit eam ingredi, valeat. Liceat tamen, tam in die, quam in nocte, dum quis quiescere vult, cellam ita claudere, ut nullus ei molestiam afferre possit, aut eo inscio, intrare. Strictè etiam præcipiunt ne quis audeat, absq; superioris licentia, quempiam extraneum siue laicum, siue religiosum ducere in Dormitorium, ac multo minus in cellam aliquam.

Lumen in Cellis ita collocetur, ut nullum sit incendij periculũ; Candelas vero accensas sub graui pœna nemini herere ligno cuicumq; in cellis, ac officinis, & locis villo pacto permittatur. Lucernæ seu lampades Dormitorij a sacrista accendantur statim post pulsationem Aue Mariæ, nec extinguantur, nisi cum dies illucescerit. In hieme non liceat habere lumen in cellis, nisi vsq; ad tertiam horam noctis: a festo videlicet omnium sanctorum, vsq; ad Quadragesimam. Reliquis vero anni temporibus, non nisi ad primam noctis horam, nisi de licentia Prælati.

DE EXCOMVNICATIONE

Culparum. Cap. XXIII.

SI quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius existens sanctæ regulæ, & præceptis leniorū suorum, contemptor repertus fuerit hic secundum domini nostri præceptum admoneatur semel, & secundo secreta à senioribus suis, si non emendauerit, obiurgetur publice coram omnibus: si vero neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit, excommunicationi subiacet. Si autem improbus est, vindictæ corporali, subdatur.

Cum à principio huius vigesimi tertij capituli Regulæ, vsq; ad vigesimum nonum Dignus Pater Benedictus de culpis loquatur, leuibus, grauius, grauioribus, & grauissimis; & quo pacto puniri debeant: Iudicarunt Patres opere precium esse, de his quatuor culparum generibus, ad quæ reliquæ omnes culpæ si quæ sunt, reduci possunt; fusius loqui, ut & Prælati, subditos quomodo iudicare debeant, & subditi a quibus cauere eos oporteat, melius discant. Et qui non propter Deum, non propter salutem propriam: non ob timorem futuræ pœnæ in alia vita; à malis, & à peccatis abstinere volunt, saltem ob timorem proximæ pœnæ in hac vita, abstinere. Oderunt (inquit ille) peccare mali formidine pœnæ: oderunt peccare boni virtutis amore. Verum ne cui videatur in his, quæ dicenda sunt, quippiam esse contra Regulam sanctam, aut determinatum; immo multa cum consideratione, & ratione: sciendum est, quod ubi in

subra-

supradicto vigesimo tertio cap. & duobus sequen-
tibus sermo habetur de excommunicatione, non ita
accipiendum est, vt Diuus pater Benedictus sem-
per absolute intellexerit loqui de excommunicatio-
ne secundū quod hodie comuniter intelliguntur ipse
excommunicationes: ita videlicet quod omnia exco-
municationum genera aequaliter, & in omnibus se-
cluderent contumacem ab aliorum comunione.

Quoniam nō est hęc intentio suorum Canonū; sed
dumtaxat ostendere, quod quemadmodum culpe
sunt triplicis generis, videlicet graues (vt obmit-
tamus Nunc leues) grauiiores, & grauiissime: ita
diuersorum generum esse debent excommunicatio-
nes. Quarū prima est quando Monachus priuatur
participatione comunis mensæ: quam pœnam con-
plures alie sequuntur, nempe quia nec Antipho-
nam, nec Psalmum in Choro intonare potest; nec
Lectiōnem legere, & huiusmodi. Et hęc separan-
do Monachum ab alijs fratribus, dumtaxat in præ-
dictis rebus, clare innuit, ut in alijs comunicare ua-
leat, & fratrum familiaritate frui. Inclusio enim
vnius (vt inquit lex) est exclusio alterius. Secūda
Grauior, si recte consideretur, ea est, quæ vult Pre-
latum, non solū suspendere Monachum (quod ver-
bum suspendere ostendit, quod hęc duę excommuni-
cationes proprie non sunt eius generis, cuius est il-
la, de qua loquitur ecclesia sancta) à mensa, & con-
sequentibus, sed in totum ab oratorio: & precipit
ut nullus eum alloquatur, aut secum conuersetur;
sed solus maneat, laboret, cōmedat, ambulet, non
benedicat ipse, neq; ab alio benedicatur, & huius
modi

modi. Tertia deinde Grauiſſima; quę vere, & proprie eſt excommunicatio, ea eſt, quę uult contumacē, qui nec correptione uerborū, neq; excommunicationibus dictis minus grauibus, nec uerberibus, nec alijs pœnis afflictiuis, eſt emendatus, immo longe prior effectus, ac ſuperbior; ceu putridū membrū, præcidi, & per grauiſſimā penā, penitus ab alijs ſeparari. Et hanc breuiter Patres intelligunt fuiſſe Diui Patris Benedicli menſe, ac intentionē in hoc tractatu, quę facit de Culpis, & excommunicationibus. Poſſumus etiā dicere duplicē eſſe excommunicationē, uidelicet Monasticā, et eccleſiaſticā. Verū noſtri patres ſeniores, quā ſit hodie abominabile, atq; horrendū uerbum excommunicationis, conſiderantes; numquā priores duas hoc, certe tremendo nomine, nuncuparunt, ſed penas magis, aut minus graues pœnitentias, & interdū ſuſpenſiones. Tertiā uero, proprio uocabulo, excommunicationem uocant. Quo circa cū hodie quis priuatur comunis participatione menſe, aut dimittit piaculum, ſiue piētiantiam (quam uocant) aut uinum, aut ieiunat in pane, & aqua ſemel, uel pluries; non ob id excommunicatus dicitur, tã & ſi in prædictis cū alijs nō comunicet, ſed pœnitentiatus. Quam admodū itaq; culpa magis notabiles ſunt tres, ita iuxta regulā totidē ſunt punitiones, de quibus ſingillatim, ſecundū patrū intentionē, & ordinē nunc tractandū eſt. Sed pauca ĩ primis de leuiſſima culpa differemus.

Nomine igitur leuis culpe intelligi uolūt errores oēs, quos Monachus inaduertenter aut ignoranter, uel ex lapſu lingue, uel ob defectū iudiciū, aut

ineptitudinis, & similibus de causis, & in rebus non magni momenti, commiserit. Quæ tamen culpa leues aliquando ex accidenti, graues effici possunt, vt puta, legere, aut decerpere pomum in viridario, sine Magistri licentia, imputatur Nouitio leuis culpa. At si Prælati præcepisset non debere ab vlllo decerpi, & ille rescisset, iam culpa illa ex se leuis, ex addita circumstantia, grauior effecta esset. Idcirco oportet Prælatum in his discernendis multa vti prudentia; & affectum magis siue intentionem respicere, quam effectum ipsum. Quandoquidem intentio, quod ex natura sua leue est, graue potest efficere. Immo vero ipse Deus non solum quid, sed qua intentione operemur respicit. Sed recte tamen iudicabit Prælati cum fuerit omni affectione, ac passione spoliatus. Per sæpe nanque amor, & odium, iudicium alterare solent, ut res aliter quam sit videatur. Qui enim diligit superbum aliquem, non eum superbum nominat, sed magis viuacem ac sensitium. Contra vero odienti, bonum uidetur malum, & dulce amarum. Quantum igitur ad culpas, regulariter non censeantur leues, sed graues, quæ aperte noscuntur ex uoluntaria in obedientia, uel contemptu præceptorum, aut ex malitia, seu fraude processisse: quamuis forsan, quo ad factum leues essent reputandæ. Quæ leues culpe, vt ridere in cibo, oculos habere vagos, non recte inclinare, de vanis, & ociosis loqui, quempiam deridere, tarde ad Ecclesiam venire, vas aliquod, aut quid simile frangere, & huiusmodi; non aliter puniantur, quàm

correctione uerborum, prima uice priuatim, deinde coram testibus, mox aliqua leui pœnitentia, ut puta, quod dicat psalmum quinquagesimum in refectorio, uel fratrum pedes deoscutetur, uel prandeat una uice in terra. Quod si his correctionibus non emendetur, tum culpa sua inter graues annumeretur, de quibus in sequenti capitulo dicemus.

QUALIS DEBEAT ESSE MODUS EXCOMMUNICATIONIS. Cap. XXIII.

Secundum modum culpæ excommunicationis, uel disciplinae debet extēdi mēsurā. Qui culparum modus de Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur, tantum a mensæ participatione priuetur. Priuatus autem a mensæ cōfortio: ista erit ratio, ut in oratorio psalmum, aut antiphonā non intonet, neque lectionem recitet usque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post fratrum refectionem. solus accipiat mensura, uel hora qua prouiderit abbas ei competere, ut si uerbi gratia fratres reficiunt sexta hora, ille frater nona, si fratres nona, ille uespertina, usque dum satisfactione congrua ueniam consequatur.

Cum in precedenti capitulo satis clare monstratum sit, quæ nā sint culpæ leues, quomodo cognosci debeant, & puniri; ante omnia in hoc dicitur id quod in fine illius innuebamus. Nēpe quod huiusmodi leues culpæ (& ita uolunt patres) postquam semel atq; iterum, ac etiam tertio ut dictum est correptæ sue rint, neq; ulla fuerit emendatio, tum intelligantur, & ut graues puniantur. Similiter declarant esse graues culpas. Non tamen mortale peccatum, nisi fortasse tale esset

desui natura quandocumq; aliquis Monachus, nō quidem ex contemptu (tunc enim tale esset) sed contra præceptum Abbatis quidpiam facit, uel admittit, tam & si illud parui videretur esse momenti. Non est si quidem putandum, Abbatem aliquid esse præcepturum citra rationem, Deiq; timorem, & legem. Idcirco dictæ transgressiones, veluti culpæ graues, puniātur, nisi forte Prælatus ipse sub aliqua maiori pœna id fieri, vel non fieri mandasset. Cum enim illa maiori pœna mulcandi sunt delinquentes. Declarant etiā pœnas omnes quas Monachi priuatim in Monasterio, ob transgressionem ordinū subierint, subire debere Prælatos in capitulo ad arbitrium Generalis, & Visitorum, qui omnes simul possint aliquādo, & iustis de causis, pœnas minuere, vel augere. Ille tamen, quæ a Desinitorio iniunguntur, nullatenus alterari valeant, ut infra dicemus. Pœna igitur debita graui culpæ, hoc est, vt delinquens toties, quoties in eam lapsus fuerit, comedat in terra, in medio refectory, & ieiunet in pane, & aqua; per aliquot dies non egrediatur extra Monasterium, & sit interim in continuo silentio; deosculetur Monachorum pedes; culpam suam in capitulo dicat; legat semel, uel pluries integrum psalterium, vel alijs consimilibus pœnis ad arbitrium Prælati puniatur. Qui sane Prælatus debet in his multa vti prudētia, vt cognoscat naturas monachorū varias, & ingenia, & sciat quibusq; vitis, et infirmitatibus salutaria apponere medicamenta. Sed quā maxime curet, sup hos, insolētes, inobedientes,

& contumaces humiliare. Et demum sciat, pro loco, & tempore, parcere subieclis, & debellare superbos. Vbi vero dicitur in Regula, quod delinquens sit in pœna quousq; conuenientem satisfactionem sit consecutus, ac veniam; intelligendum est de venia, & benedictione à suo Præfato, post factam penitentiam, habenda. Reliqua autem huius capituli satis superq; sunt superius declarata.

DE GRAVIORIBVS CVLPIS.

Cap. XXV.

IS autem frater qui grauioris culpæ noxa tenetur, suspendatur a mensa simul & ab oratorio. Nullus ei fratrum in vlllo iungatur cõsortio, neq; in colloquio. Solus sit ad opus sibi iniunctum, persistens in penitentia luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis. Tradite huiusmodi hominem Sathanæ in interitu carnis, ut spiritus saluus sit in die domini. Cibi autem refectioem solus, percipiat, mensura, vel hora qua prouiderit ei Abbas competere, nec a quouam benedicatur trãseunte, nec cibus quis ei detur,

Illi igitur, qui culpam grauiorem perpetraverint, hunc in modum Patres puniri volunt: videlicet, vt non solum sint in primis priuati comuni mensa, sed & sequela Chori, & omnino consortio Monachorum, Ita ut cum nullo penitus loqui, quãto tempore in pœna fuerint, audeant; nisi cum his, qui specialem à Præfato super hoc habuerint facultatem. Assigneturq; talibus cella propria pro carcere, & silentium eis indicatur, non minus quam viginti dierum: cum tãmen pro culpis gra

nibus, non nisi quatuor esse uelint. Si quis ita q; familiaritatem suspectam alicuius mulieris habuisse deprehensus fuerit, aut rem cum ipsa habuisse, grauiorem culpam incurrisse iudicetur; & longo carceri mancipetur: habita tamen ratione personę, loci, occasionis, speciei peccati, & numeri. Ad daturq; si visum fuerit bis, aut ter, ieiunium panis & aque in hebdomada: & in summa iuxta delictum infligatur, & pœna. Item Grauior culpa est, si quis pro gradu aliquo, vel dignitate assequenda in nostra congregatione, ad aliquem Principem secularem, uel ecclesiasticum confugerit. Pariter est grauior culpa, si quis in ciuitatē aliquam, ueniens, non primum se presentauerit alicui ex nostris Monasterijs, si ibi fuerint. Item grauior culpa est, si quis Prælat^o miserit Monachos suos, auitiæ causa, ad festiuitates, aut funera, uel obsequia Mortuorum extra Monasterium, & loca nostrę congregationis. Item Grauior culpa est, si quis arma, quauis de causa in cella habuerit, aut vestes laicorum.

Quoniam uero Patres ordinauerunt quęlibet Prælatū debere ponere in capsula, singulo quoq; anno, portionē Quindennij, quę illi contingit, & inuentā seruare; propterea si quis hoc non fecisse cōuictus fuerit, grauiorē culpā incurrisse censeatur: & insuper uoce actiua, & passiuā sit in proximo capitulo prinatus. Similiter grauior culpa est, nō solū si quis, suadente diabolo, alium Monachū manpercusserit, uerum etiam uerbis maledicis, ac cominatorijs eum infecutus fuerit. Quod si aliter

quam manu, vt puta baculo, uel ferro percusserit, subiacebit pœne grauissime, ut infra capitulo vige-
simo octauo, et latius in septuagesimo. Nulli neq;
Monacho, neq; conuerso liceat absq; licentia pro-
uincialis Vicarij adire Patrē Generalē, nisi prius
ab eo licentiā habuerit; & qui contra fecerit, per
mensem (quoniā grauiorē culpam incidisse voluit)
mancipetur, & qualibet feria sexta illius mensis,
in pane et aqua ieiunet. Simili pœna puniatur, qui
nō existens Prælati, neq; conuentualis aut guber-
nator alicuius loci principalis, ad capitulū ierit,
nō habita à Generali, uel à Vicario iustis de cau-
sis, licētia. Si autē Monachus aliquis sentiret se in
aliquo grauatū, uel à Prælato, uel ab alio, deferat
causā suam ad Patrem Generalē in uisitatione, et
si etiā ab ipso Generali non administraretur ei iu-
stitia (q̄ tamen non est ita facile credendū) recur-
rat, aut personaliter cum licētia, aut per litteras,
ad Diffinitorium, & Patres Diffinitores in tali ca-
su, ac sēper taliter iustitiā administrēt, vt nullus
iure de ipsis, vllō pacto, conqueri possit. Et qui con-
tra hunc ordinē quidpiā tentauerit, pœne grauiori
culpę debita, subiacebunt. Sanxerunt præterea,
q̄ nullus nostrę congregationis, neq; Prælati,
neq; Monach⁹ possit apud Moniales siue nostri, si-
ue alterius ordinis, aut etiā apud seculares, vestes
libros, pecuniā, aut aliud quidpiā seruandū trade-
re, vel quomodolibet aliter deponere, sub pœna,
Prælati quidē priuationis officij per annū: Mona-
chis vero vocis actiue, & passiue per idē tēpus, itē
cuiuscūq; officij. Conuersis autē sub pœna carceris
per duos menses.

Volunt etiam, vt nullus possit literas extra Mona-
 sterium aliquo pacto mittere, neq; etiam sibi alla-
 tas legere, seu aperire, nisi prius illas Pralato suo
 presentauerit, legēdas ab ipso, sub pœna prima vi-
 ce, ieiunandi semel pane, & aqua in medio refectō-
 rij; secūda vero vice, manendi in carcere, p̄ mensē:
 & sic deinceps multiplicetur pœna ad arbitrium
 Pralati, & Generalis. Si quis vero litteras Dif-
 famatorias, aut libellos famosos, contra Pralato-
 tos, uel alios quoscumq; scripserit, & cum dedeco-
 re religionis, & scandalo; priuetur, si fuerit Prala-
 tus omni officio, et dignitate, per tres annos, si Mo-
 nachus, omni officio, ac voce actiua, & passiuā, per
 idem tempus: Et si conuersus, detrudatur carceri-
 bus per tres menses. Simili pœna puniantur qui-
 dā Maledicentes, qui linguam suam semper acue-
 re videntur, vt sursum deorsum omnia vertant, &
 perturbent pacem Monasterij. Et quoniam harū
 perturbationum persepe causa sunt Pralati ni-
 mis indulgentes, ac pusillanimes: propterea Pa-
 tres admonent: ut si qui tales sunt, quantocius cor-
 riganur, & acerrime puniantur. Alioquin Præ-
 lati ipsi, velut indigni, omni pralationis munere
 sint priuati. Si quis literas non sibi directas ape-
 rire ausus fuerit, uel resignare; aut apud se mali-
 tiose retinere, prima vice ter ieiunct in solo pane,
 & aqua medio Refectōrij, secunda vero vice, &
 deinceps per mensem sit carceri adiudicatus: &
 per sex menses sit postremus omnium sui ordinis,
 videlicet si est sacerdos, sit postremus sacerdotum,
 si professus, professorum ultimus; si conuersus mi-

nimus conuersorum. Si quis vero Prælatus aperuerit literas Prælati alterius Monasterij, per an-
 nū deponatur ab officio suo. Literas vero ad se di-
 rectas, et subditos suos, quilibet Prælatus valeat,
 imo debeat aperire, ac legere. Itē culpa grauior
 est, si quis Prælatorū, ex bonis Monasterij propria
 voluntate, munus aliquod, uel Donum miserit ad
 aliquem principem hominem seu quemuis alium,
 ultra præcium, & ualorem uuius aurei; & in pœ-
 nam, ab officio absoluat. Non enim debent es-
 se Prælati bonorum monasteriorum dissipatores,
 sed fideles eorum ministratores, ac dispensatores.
 Si vero Monachus idem fecerit, ueluti furti reus,
 trium mensium carcere puniatur. Si tamen Præ-
 latus ob aliquod singulare Beneficium, munus ali-
 quod ad aliquem transmittere uelit, possit cum cō-
 silio, et assensu seniorum; intuitu mercedis grati-
 tudinis: uel elemosinæ & nō aliter, dummodo præ-
 cium decem aureorum non transfiliat. Similiter
 nolunt, ut quis, absq; licentia donare possit etiam
 ex his, quæ sua industria acquisiuit, aut ab amicis,
 seu cognatis accepit. Quoniam quicquid Mona-
 chus acquirit, non sibi acquirit, sed Monasterio.
 Contra vero facientes pœne grauiori culpæ debita
 subiaceant, aut aliquanto leuiori ad arbitrium
 Prælati: tamen non sibi imputetur adfurtum. Po-
 test tamen quis, eiusmodi dona ex se ipsō acquisi-
 ta, largiri, si facultas sibi facta sit à Prælato, uel à
 Patre Generali. Quem quidem Generalem nul-
 lo pacto uolunt huic constitutioni, ob gradum
 quem tenet, subiacere: sed ualeat in beneficium

Religionis ultra dictum precium, si opus fuerit, ex suis prouisionibus & stipendijs elargiri. Item grauiorem culpam esse uolunt, si quis nomen Dei sanctissimum, aut Matris eius, aut aliorum sanctorum blasphemauerit, & puniri asperimo, & longiori carcere, ad arbitrium Prælati, & Generalis. Qui item nomen prædictum in uanum assumpsit, iure iurando, uel aliter, pœna panis, & aque mulctetur. Si quis uero (quod absit in usum habuerit blasphemare) censeatur eius culpa grauissima, & ut talis puniatur.

Præcipiunt etiã, ne aliquis, neq; Prælati, neq; Monachus, præter eos, qui earum curam habebunt, audeat ad Monasteria nostrarum Monialium, aut etiam alterius ordinis accedere, neq; literas, aut munuscula mittere, aut recipere, uel nuncios absq; licentia Patris Generalis: Meminerintq; Monachi, Diuum Patrem Benedictum, uehementissima amaritudine, suum Monachum increpasse, qui etiã rogatus, à sanctimonialibus feminis quasdam mapulas acceperat. Qui igitur huic constitutioni cõtrafecerit, ad arbitrium Prælati grauius puniatur. Si quis uero pernoctauerit in domibus alicuius nostrorum Monasteriorum Monialium, sine licentia eiusdem Patris Generalis, aut Patris Vicarij in prouincia (si hanc authoritatem habuerit à dicto Patre Generali) carceri per mensẽ mancipetur. Et Capellanus, qui absq; licentia inscriptis dicti Generalis, aut Vicarij permittet aliquem ex nostris Monachis pernoctare in domibus Monasterij alicuius, ut supra, eadem pœna puniatur.

Si quis autē puer, vel Nouitius in grauiorē culpā inciderit, sit in arbitrio Prælati assignare illi cellā pro carcere, dare disciplinas, vel ei aliā consimilē pœnitentiā, huiusmodi etati congruentem, imponere. Si quis vero Monachus verba in honesta loquutus fuerit, aut rem aliquam, absq; licentiā, alicui adolescenti dono dederit, qui adhuc maneat sub cura Magistri, pœne grauioris culpę debita, subiacebit. Et quoniam, vti est in proverbio, plures sunt casus, quam leges, non solū iam dictę, pro culpis grauioribus habeantur, sed illę quoq; , quę tales à sacro Dēfinitorio indicabuntur. Et si alicui videretur nos hac in parte superflua aliqua dixisse, quoniam poterant breuius culpę grauiores enumerari, deinde subijci: pœnę nos tñ ita fecimus, maioris distinctionis gratia, et quoniā in ipso ordine culparū magis grauiū, vna grauius est multatāda, quā alia, respectu personarū, ac delinquentiū. Quod si non omnes hic culpę grauiores speciatim enumeratę sunt, facile tamen erit ex his alias dignoscere. Ex similibus enim similia cognoscuntur, & ex his quę scripta sunt, alia non scripta haud difficulter indicari possunt. Caterum si qua dubia forte oriētur circa dictā, ac dicenda, volūt, patres declarationē eorum fieri à Patre Generali, vel si eōmode fieri potest a Reuerendo Dēfinitorio. Pœne quę grauioribus culpis debētur, vt omnia iam dictā breuiter in vnū colligamus, hęc sūt, carceres, disciplina, priuationes vocis, tam actiue, quā passiue, priuatio loci, gradus, officij, ac dignitatū omnium; prostrationes, exiliū, & relegatio in aliquo Monasterio ad tempus, & id genus reliquę.

DE HIS QUI SINE IUSSIONE

Abbatis iunguntur excommunicatis .

Cap. XXVI.

SI quis frater presumpserit sine iussione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem fortia-
tur excommunicationis vindictam.

Cum D. Benedictus de grauioribus culpis, ac pœnis siue ut ipse dicit excommunicationibus, in superiori capitulo loquutus sit; modo, antequam ulterius progrediatur ad loquendum de culpis grauiissimis (quasi digrediendo) præcipit in hoc capitulo, ut nullus audeat sine speciali Abbatis præcepto, iungere se excommunicatis. Deinde in capitulo uigesimo septimo, monstrat quo pacto ipse Abbas eorum curam gerere debeat. Quantum igitur ad primum, declarant Patres, ac præcipiunt, cui silētium indictum est, aut qui carceri intrusus, uel excommunicatus est, neminem Monachorum loqui debere, aut nuncios uel literas mittere, sub pœna grauis culpæ. Quam sane culpam uolunt etiam incur-rere, eos, qui talibus contumacibus auxilium, & fauorem contra Prælatos, ac sanctam obedientiam præstant: cum non solum, qui talia agunt, iuxta Apostoli dictum, uerum etiam, qui consentiunt facientibus, consimili sint pœna mulcandi. Quoniã uero non nulli interdum Prælati, ad pauca respi-cientes, quauis de causa, sententias excommunica-tionum ferre consueuerunt; præcipientes hanc, uel
illam

illam rem, sub pœna excommunicationis latę sententię, uel declarando quempiam de facili excommunicatum; propterea præcipiunt Patres in hoc se sacro Concilio Tridentino conformantes, omnibus Prælatiſ, ut ab huiusmodi præceptis omnino abſtineant, neq; unquã, niſi in caſibus urgentiſſimis, ſub pœna anathematis quicquã mädare præſumãt nec etiam tã facile iudicare aliquem excommunicatum: ſed ſint in iudicijs ferendis tardi, prudentes, ac diſcreti. Similiter caueant ab illa ſententia, qui cito credit, leuis eſt corde: nec tam facile aures quibuſdam ſuſurronibus accommodent, qui nihil aliud ſcire uidetur, niſi detrabere, mordere, ac perperam loqui de proximo: ſed audiant, ac diligenter obſeruent, utrum res ita ſe habeat, anteq; ſententiam ferant. Neq; uero e contra ita increduli ſint, ut omnia paruiſpendant. Sape enim nõ adhibuiſſe fidẽ uera dicentibus, ac perinde nõ conſuluiſſe rebus ſuis, multorum fuit ſcandalorum occaſio. Sit itaq; Prælatuſ, neq; nimis creduluſ, neq; etiam ita parum credens, ut non diligenter inueſtiget cunãta, & linceis quodammodo oculis, commiſſum ſibi gregem cuſtodiat.

Sed ad rem noſtram regredientes, non ſolum dicimus Prælatum debere curare, ne quiſ cũ excommunicatiſ ſe iungat, uerum etiam ne boni cum malis conuertium habeant, aut diſcolis, & paruſ deuotiſ. Quandoquidem iuxta Salomonis dictũ qui cum ſapientibus graditur, ſapienter erit, amicus ſtultorum ſimiliſ efficietur. Deniq; caueant Prælati, ne affectione aliqua ducantur; eiſque
memi-

meminerint sententiæ. Quilibet presumitur bonus, nisi probetur contrarium.

QUALITER DEBEAT ESSE
Abbas sollicitus circa excomunicatos. Cap. XXVII.

OMni sollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres, quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Et ideo uti debet omni modo, ut sapiens medicus, immittere quasi occultos consolatores senipetas, id est seniores sapientes fratres, qui quasi secreto consolentur fratrem fluctuantem, & pronocent eum ad humilitatis satisfactionem. Et consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeat. Sed sicut ait apostolus, confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet sollicitudine gerere abbas, & omni sagacitate & industria curare ne aliquam de omnibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem. Et metuat prophetæ comminationem per quam dicit Deus, Quod crassum videbatis, & quod debile erat, proiecistis. Et pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quæ erraverat, quæ re. Cuius infirmitati intantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.

Non est nisi consideratione dignum, quod ubique loquitur Divinus Pater in Regula de Prelato, semper vult eum, non tantum nomine, sed re ipsa & opere esse Patrem, & quidem per benignum, suorum monachorum: Ipsosque è converso filios, & quidem obsequentissimos. Illud vero certum esse, nemo est qui ambigat, patri plus molestia afferre filiorum

liorum verbera, quã ipsis filiis. Quare, & Patres si quando filios, ita exigente iustitia, verberauerint, solent eos postmodũ, per se ipsos, vel per aliũ verbis dulcissimis consolari, & animaduersionẽ illã ex paterna charitate processisse, demonstrare. Hoc itaq; pacto se se Prælati erga subditos, quos dicit filios, exhibere debet: eos presertim qui afflictĩ animo, ac in pœnitentia existunt. Cum ibi magis cõpassione pressio esse debeat, vbi magis est opus. Volunt itaq; Prælatũ in animaduertendis, ac corrigendis vitijs, illud semper præ oculis habere; vide licet diligendam esse personam, vitium vero odio habendum. Puniat sine delinquentes; ad correctionem: non ad desperationem, paterno eos affectu prosequatur; compatiatur illis, condoleat, & cum Apostolo flet cũ flentibus, ac nullũ non moueat lapidem, vt eos ad sancte, beateq; viuendum reuocet. Quod facile consequi poterit, si dexteritate quadam, si charitate, vt par est, crisliana: cum eis egerit, pietateq; non ficta, aut simulata. Ipse vero delinquens nõ propterea superbire debet, sed multo magis humiliari, culpam suam agnoscens, & aliorum erga se humanitatem. Verum, vt hoc opus pietatis, pares atq; adeo bonos producat fructus salutis, necesse est, vt tam ex parte Prælati, quam ex parte eorum, quos ipse ad huiusmodi delinquentem leuandum mittet, sic neq; fictum, neq; frigide exercitatum, sed sincerum, ex corde, ac omnibus nervis intentatum. Verum quia sine diuina gratia nihil prorsus boni agere valeamus, vt eiusmodi pœnitentia sic ei salutaris, ac veluti ani-

marum medicina, faciat Prælatus reliquos Mo-
 nachos pro ipso deuote orare. Deniq; modis omni-
 bus curet, quod nulla ouium sibi commissarum ul-
 lo pacto pereat; memor eius, quod Diuus Pater,
 dicit, nempe eum non esse uocatum, ut sanis ouibus
 cum imperio, ac tyrannide dominetur: sed magis,
 ut languentibus paterno medeatur affectu. Quod
 sane facere haud quaquam uidentur præfules illi,
 qui non nisi Monachos deuotos, ac ueluti ex milli-
 bus electos, in suis cænobijs uolunt; respicientes re-
 liquos, qui non ita quieti, ac tractabiles existunt.
 Cum tamen contrafacere quisq; deberet, cui uel
 parum salutis animarum zeli inest: querere uide-
 licet oues perditas, & illas salutaribus exemplis,
 ac uerbis ad ouile Christi, super humeris suis im-
 positas, reducere. Sic enim, & fratres magis edi-
 ficaret suos, & maior illi merces apud Deum du-
 bio procul maneret. Quamuis etiam illud non in-
 ficias inuicem, iusto Dei iudicio, huiusmodi dissolu-
 tos Monachos ab omnibus respui, & longe à pro-
 prijs Monasterijs expelli, ut uel saltem hoc pacto
 se ipsos agnoscant, atq; emendare studeant;
 sintq; in aliorum exemplum, ut be-
 ne, Beateq; uiuere conentur,
 atq; ideo, & Deo, &
 hominibus se gra-
 tos effice-
 re.

DE HIS QUI SÆPIVS COR-
recti non emendaue rint. Cap. XXVIII.

Siquis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus, non emendauerit, acrior ei accedat correptio, id est vt verberum vindicta in eum procedat. Quod si nec ita correxerit aut forte (quod ab sit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiens medicus. Si exhibuit fomenta, si vnguenta adhortationū, si medicamina scripturarum diuinarum, si ad vltimum vltionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & si viderit, nihil suam prænalere industriam, adhibeat etiam, quod maius est, suam & omnium fratrum pro eo orationem, vt dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam vtatur Abbas ferro abscisionis, vt ait apostolus. auferte malum ex vobis. Et iterum. Infidelis si discedit. ne vna ovis morbida totum gregem contamineat.

Quoniam vero sapientis est Medici putrida membra, ne reliquas corporis partes cōmaculent, igne ferroq; prorsus abscindere: Præcipiunt Patres, ut si quem Prælatus inuenerit, post narratas huc usq; pœnas, & animaduersiones, adhuc in sua peruersitate persistere, nec vllam superesse emendationis spem, talem habitu Religionis exutum, omnino à nostrâ Congregatione expelli, ne morbida facta pecus, totum corrumpat ouile. Neq; vero difficultatem, aut scrupulum cuiquam inuiciat postremū de Regularibus capitulū, ac transeūtib; ad alienam religionem. Quoniã hunc morem habent fere omnes vitæ regularis religio-

ligiones: Idq; summi permittunt Pontifices, speciatim vero, qui nunc viuit Beatissimus PIVS QVINTVS. Hanc tamen expulsionem seu priuationem habitus, non quiuis Prelatus facere possit, sed Reuerendissimus dumtaxat Generalis vna cum visitoribus: & nostrum Deffinitorium. Cum vero aliqua rationabili causa iudicauerint non esse eiusmodi delinquens expellendus, tum perpetuo carceri addicatur in arcta pœnitentia, vt vel saltem hoc pacto spiritus saluus fiat.

Grauiissimas igitur pœnas, ac tali animaduersione dignas, has esse deffiniunt, videlicet si quis aliqua sit heresi infectus: si quis voluntarium homicidium commiserit; si quis Prælatum aliquem quoquo modo percutere ausus fuerit: Si quis armis quempiam vulnerauerit, aut ueneno necare tentauerit: Si quis necromantiam seclatus fuerit aut artem aliquam demoniacam: Si quis rebus sacris uti ad res sacrilegas ausus fuerit: Si quis de crimine pessimo uel aliquo abominabili sacrilegio accusatus, ac cõuictus fuerit. Si quis deniq; a congregatione, cū manifesto scandolo semet rebellauerit, aut aliquod ex mēbris eius principalibus: uel reuelauerit secreta cōgregationis alicui extra ordinē, uel prouocauerit aliquod Monasterium deduci in commendam, uel causam aliquam ordinis, non requisito prius Patre Generali, uel Deffinitorio, immediate ad Illustrissimum ordinis Protectorem detulerit. Volunt enim, ut prius ab ipsis iustitia petatur, ordine quo supra. Quod si illi eam non administrauerint, tum liceat superiores alios
adire.

adire. Grauiſſimam item culpam eſſe definiunt. Si quis ultra duas vices, tanquam blaſphemator ſanctiſſimi nominis Dei, penitentiatus fuerit.

Ut autem occaſio malignandi omnino tollatur aut quempiam iniuſte accuſandi, volunt, ut ſi quis aliquem de aliquo prædictorum, apud ſuperiores tanquam rerum (non ſimpliciter denunciando ſed accuſando detulerit) niſi id probare legitime queat, eidem pœne velut infamē iuxta ſacros canones, ſubiacere. Prælati vero in huiusmodi diſiudicandis recto incedant tramite, non declinantes neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram. Neminem quoq; condemnent, niſi confeſſus fuerit, aut legitime conuictus. Hæ igitur ſunt culpæ grauiſſimæ, & ſi quæ aliæ Reuerendiſſ. Patri Generali, ac Deſſinitorio videbuntur, per aſſimilationem, ad prædictas. Pœne vero earum, ut dictum eſt, ſunt diuturnæ carceres, ſeu perpetuæ: longiora ieiunia; priuatio habitus, traditio in manu curiæ ſecularis, priuatio omnis vocis, officij, ac dignitatis, condemnatio ad triremes, & id genus aliæ, iuxta qualitatem delicti.

SI DEBEANT RECIPI FRATRES EGREſſI DE MONASTRIO. Cap. XXIX.

FRATER qui proprio vitio egreditur; aut proijcitur de monaſterio, ſi reuerti voluerit, ſpondeat prius omnem emendationem vitii pro quo egreſſus eſt, & ſic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprodetur. Quod ſi denno exierit, vltique tertio ita recipiatur. Iam vero poſtea ſctat, omnem ſibi reuerſionis aditum denegari.

K *Quantum*

Quantum ad hoc vigesimum nonum capitulum
 Regula, in quo agitur de his, qui à Mona-
 sterio, seu cōgregatione recesserunt, utrum de no-
 uo recipi debeant. Patres ita declarant. Si quis
 causa leuitatis, uel indignationis recesserit à mo-
 naſterio, sine licentia, ut ad alium congregatio-
 nis locum, seu dicti Monasterij membrū, pergat,
 si infra quatuor dies redierit (etiam si noctē vnā
 uel lōgitudine itineris, uel ob recessum tardio-
 rem in loco alterius religionis pernoctauerit) recipia-
 tur, non ut fugitiuus, sed ut in obediens: & ut ta-
 lis puniatur priuatione uel suspensione ob officio,
 si quod habuerit: Item ieiunio panis, & aqua,
 prostrationibus quoq;, ac sequestratione ad tem-
 pus alijsq; pœnis iuxta prudentiam Prælati, qui
 rationem habeat etatis, motiui, ac vitę retroactę
 talis delinquentis. At uero si quispiam ob aliquē
 excessum grauiorem à Monasterio recedens, non
 ad aliquem congregationis, locum accesserit; re-
 grediens infra tres dies à Prælato suo cum licen-
 tia Vicarij Generalis in illa prouincia, & de con-
 silio seniorum sui Monasterij, recipi possit: ac ta-
 men lege, ut pœnas subeat iuxta arbitrium Præ-
 lati, & culpę grauitatem. Quod si ultra tres dies
 non tamen ultra mensem cum habitu extra mora-
 tus fuerit, nullo pacto, reuertens possit recipi sine
 expressa licētia patris Generalis, ac uisitatorum,
 Qui tamen Generalis, ac uisitatores non debeant
 illum recipere nisi hac conditione, ut statim carce-
 ri ad eorum beneplacitum mancipetur. In futu-
 ro autem proximo capitulo dictus fugitiuus de-

mo a Patribus Definitoribus recipiatur, & digna pœnitentia puniatur. Quam pœnã, vt alias à Definitorio inpositas, neq; à patre Generali, neq; ab vllò reuocari posse, aut in parte aliqua minui, Patres nullo pacto volunt. Ne vero quis excusationem asferre possit, se ideo recessisse, vt ad aliam religionem transiret: affirmant præscripti Patres iam esse declaratum Monachos congregationis nostræ Camaldulensis non posse ad aliam religionem transire, licet arctiorem, nisi ad sacram Heremum nostrã, aut inter patres Heremitas diui Patris Romualdi; siue Montis Coronæ, neq; ad hos etiam, nisi petita licentia à Patre Generali, vel Definitorio. Volunt præterea, quod omnes tales fugitiui reuersi, dum è carcere egredientur nouissimum locum inter professos per quinquennium teneant: & sint per idem tempus voce actiua & passiva ita priuati, ut nullo pacto ad gradum aliquem, eo durante tempore, seu officium superiori tatis promoueri possint. Quod si forte habitum abiecerint, & sine ipso totum illud tēpus iam præscriptum, vel partem, fugitiuus permanserit, dictę pœne duplicentur, præsertim si ad aures patrum, parum honestam vitam tum temporis eum vixisse, peruenerit. Si quis vero abiecta Cuculla, ac habitu, infra mensem non fuerit reuersus, postmodũ rediens, non nisi à Definitorio recipi possit, & receptus per decenniũ (vltra alias supradiçtas pœnas, nõ possit ad aliquam dignitatem promoueri, & locum suę professionis in perpetuũ amittat: nisi forsã taliter postmodum vixerit, ut à Defini-

torio, ultra dictum decennium (nemine penitus discrepante) restitueretur. Qui uero ob notabile furtum recesserit, uel aliquod aliud graue delictum aufugiens, commiserit: nulla habita ratione expē se, aut laboris, modis omnibus perquiratur, et (in uocato etiā si opus fuerit auxilio brachij secularis) ad Monasterium perducatur. In quo carceri adictus, manebit, usq; ad proximum futurū capitulum. Et tunc Patres de illo quid sit agendum definiant. Idem quoq; fieri uolunt de his, qui à Religione recedentes cū licentia, scandolose in populis uiuunt, & cum dedecore religionis: sed primū hi postremi uerbis corrigantur. Quicumq; quauis de causa, dummodo iūsta, carceri uel semel fuerit mancipatus, non possit per decennium ad aliquem gradū superioratus promoueri. Et licet hi duo articuli uideātur seueriores ita tamē congruit tēpori. & fratres fugitiui in nostris Monasterijs etiamnum per transitum non recipiantur: imo nec uerba cum illis habere fratribus nostris liceat. Verū si constaret Pralato illum esse bonę famę; & religiose extra claustrum cum habitu uiuere, facultatem habeat eum sic per transitum recipere. Monachi uero qui ab vno Monasterio ad aliud proficiunt, si nō habuerint literas sui Pralati, nō recipiantur nisi pro vna nocte, presertim si fuerint suspecti. Camerarij tamen siue Cellerarij, Procuratores, & alijs consimiles Ministri, sub hac lege nō cōprehendātur. Quod uero dictum est de receptione fugitiuorū, intelligendum est, usq; tertio iuxta regulę tenorē. Et quoniā bene contingere potest,

ut aliquis bonæ famæ, ob aliquã indignationẽ recedat, & extra (verbigratia) per decennium maneat, semper tamen honeste, ac religiose viuendo: alius vero ob aliquod flagitiũ similiter abscedens per trienniũ dũtaxat extra Monasterium per maneat; licentiose nihilominus, ac parũ modeste viuẽdo: opere praciũ est, ut patres multa cõsideratione vtantur in iudicando quis maiori pœna sit dignus, ille qui per decenniũ foras mansit, honeste se gerens, an vero ille, qui per triennium tantum sed in honeste tamen, foras conuersatus est. Idem quoque dicendum de multis alijs consimilibus casibus, qui euenire facile possunt.

DE PVERIS MINORI AETATE qualiter corripiantur. Cap. XXX.

OMnis ætas, uel intellectus proprias debet habere mēsuras. Ideoq; quotiẽs pueri, uel adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possunt quãta pœna sit excommunicationis, hi tales cum delinquant, aut ieiunijs nimijs affligantur, aut acribus verberibus coerceantur, ut sanentur.

Quoniam vero Diuus Pater, cum iam de excommunicationibus, ac pœnitentijs locutus sit, subiicit omnem ætatem ac intellectum suas habere mensuras, & quod vni congruit, alteri per sepe non conuenire; ea propter hoc obseruare volentes præscripti Patres statuerunt, quod si quando pueri, & adolescentes in aliquem errorem inciderint: nullo pacto excommunicationibus, aut alijs grauissimis pœnis: Sed verbis, minis,

ieiunis, disciplinis, coronis, psalterijs, & id genus alijs puniantur. Ad maiorem præterea instructionem uoluerunt Patres, quod hoc loco, quasi incidenter, pæne omnes narrarentur, quæ tam in nostra, quam in alijs Religionibus dari delinquentibus monachis consueuerunt. Neq; uero erit ab re cum sæpe inuenti fuerint non nulli, qui pœnas aliquas ex propria sententia alicui iniungentes, & risum circumstantibus excitarint, & non nunquam semet & alios discrimini alicuius scandali obiecerunt.

Penitentia itaq; , quæ sunt pueris iniungendæ usq; ad annum quintum decimum, uel ad summum xvi. ut puta, quia lectioni non studuerunt, non re Æte cantarunt in Choro &c. hæ sunt, priuatio fructuum in mensa, aut casei, uel uini, & aliquando (ut dicunt) piskantiæ. Item humi prandere in medio Refectory; disciplinas recipere; deosculari Monachorum pedes in mensa recumbentium; aut de mane in capitulo existentium. Adolescentibus uero professis, si forte deliquerint, huiusmodi sunt iniungendæ pœne. Prandere in terra in solo pane, & aqua, prostrationes facere, hoc est corpore in limine refectory iacere, dum Monachi trãseunt, uel quandoq; proforibus ecclesiæ, dum non adsunt seculares; silentium seruare, per mensem; abstinere, per aliquod tēpus a sancta comunione; Non egredi è clausura per annum: priuari uoce actiua, & passiua ad tempus; & eiusmodi iuxta grauitatem delicti. Solent etiam aliquando religiosi puniri priuatione confessionis, hoc est ut nul-

lum amplius possint in confessionibus audire: ne cum aliquo itidem seculari loquatur unquam, uel ad certum tempus; suspensione à celebratione Missæ: priuatione loci suæ professionis: Item omnis gradus officij, ac dignitatis. Puniuntur etiam ex communicationibus; carceribus, uel perpetuis, uel ad tempus; Triremibus; expoliatione habitus, traditionibus in manibus curiæ, & alijs fortasse similibus, iuxta qualitatem delicti.

In quibus pœnis iniungendis, sit prudens Prelatus, ut eas pro qualitate criminis, habita quoque ratione personæ, etatis, & uitæ retroactæ, imponat. Præsertim uero cunctanter incedat circa pœnam carceris, quoniam in religionibus nulla maior uidetur; cum delinquens Monachus ob eam, infamis toto sermè tempore uitæ suæ haberi soleat. Itaque, nisi fuerit culpa plusquam grauis, nunquam carcer, sed cella pro carcere, si opus fuerit assignetur delinquenti: ibique ieiunijs solius panis, & aquæ alijsque uitæ austeritatibus, pro culpæ merito, puniatur. Idem quoque fiat dum quis non ut puniatur, sed pro inquirenda alicuius facti ueritate, custodiri debet.

QUALIS DEBEAT ESSE CELLERARIUS Monasterij. Cap. XXXI.

Cellerarius monasterij eligatur de congregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum, qui omni cōgregationi sit sicut pater. Curam gerat de omnibus,

sine iussione Abbatis nihil faciat, quę iubentur custo-
diat, fratrem non contristet. Si quis autem frater ab
eo aliqua forte irrationabiliter postulat, non spernen-
do eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate
male petenti deneget, animā suam custodiat, memor
semper illius apostolici præcepti, quia qui bene mini-
strauerit, gradum honorum sibi acquirit. Infirmorum,
infantium, hospitem, pauperumque cum omni solici-
tudine curā gerat, sciens sine dubio, quia pro his om-
nibus in die iudicij rationem redditurus est. Omnia
vasa monasterij cunctamque substantiam, ac si altaris
vasa sacrata conspiciat, nihil ducat negligendum, ne-
que auaritię studeat, neque prodigus sit, aut extirpa-
tor substantię monasterij. Sed omnia mensurate fa-
ciat, & secundum iussione[m] Abbatis sui. Humilitatē
ante omnia habeat, & cui substantia non est, quę tri-
buatur, sermo respōsionis porrigatur bonus, quia scri-
ptum est, sermo bonus super datum optimum. Omnia
quę ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua, à
quibus eum prohibuerit non præsumat. Fratribus con-
stitutam annonam sine aliquo typo uel mora offerat,
ut nō scandalizentur, memor diuini eloquij quid me-
reatur qui scandalizauerit vnum de pusillis. Si cōgre-
gatio maior fuerit, solatia ei dentur a quibus adiutus
& ipse æquo animo impleat officium sibi commissum.
Horis competentibus dentur, quę danda sunt, & pe-
tantur, quę petenda sunt, vt nemo perturbetur, neq;
contristetur in domo Dei.

Circa hoc capitulum, ubi D. Pater loquitur
de officio Cellerarij, seu, ut nos dicimus, Came-
rarij: ita clare, & delucide, quę ad ipsum pertinet
enarrat, ut visum sit, patribus nihil penitus adde-
re. Præcipiunt tamen, ac omnino uolunt, ipsum
Cellerarium teneri, qualibet hebdomada capitulū
hoc legere attente; & quo ad poterit executioni
mā dare. Electionem eius declarāt in quolibet Mo-
naste-

nafterio ad Prælatum pertinere, qui curabit talē deligere, q̄ partes has, quoad fieri potest, habeat, quas Pater sanctus ponit in præscripto capitulo, quo nec pulchrius, nec consideratius, nec omni ex parte completius alterū non facile inuenies. Vbi uero dicitur, Animam suam custodiat, hortantur patres ipsum Camerarium, ut se in rebus temporalibus ita demergat, & implicet, ut spiritualia, non negligat, aut ijs, quę ad animam attinent, non attendat. Vbi autem dicitur Infirmorū &c. declarant, Camerarium cum omni diligentia, & timore Dei hanc partem exequi debere, præsertim in absentia Abbatis. Cogitetq; se in die iudicij ante Christi tribunal de hoc specialiter, redditurum esse rationem. Et quoniā aliquoties videntur Abbates, ac Cellerarij nimiam gerere sollicitudinem rerum temporalium, & magis de illorum minus felici successu dolere quā de spiritualiū neglectu: hortantur patres eiusmodi, ut memores esse uelint, primū querendū esse Regnū Dei, quoniā nō est inopia timentibus Deū, imo uero (diuitibus egentibus sæpe numero, & esuriētibus) qui querūt dominū, nō minuantur omni bono. Qua propter reiecta diffidentię anxia sollicitudine, terrena, simul & cœlestia, qua decet diligētia, amplectantur, & curent, & ubi prouiso q̄ in nobis est, & deeritq; humana possibilitas, dominus seruis suis diuina potestate minime deerit, quemadmodum Diuus Gregorius narrat patri Benedicō, accidisse qui in extrema positus necessitate cum filijs suis, grandi copia farina diuinitus prouisa, recreatus est.

Præcipiunt etiam dictis Cellerarijs, ut saltem bis in anno, coram patribus legant rationes, & computa conuentus, debita nimirum, & credita, & dispositionem Monasterij. Similiter cum recedunt ab vno loco ad alium, fideliter coram Prælato, & senioribus, sub pœna culpæ grauiori debita, rationem reddant propriæ administrationis.

DE FERRAMENTIS MONASTERIJ. Cap. XXXII.

*S*ubstantiæ monasterij in ferramentis, uel vestibus, si cui quibuslibet rebus, prouideat Abbas fratres de quorum vita vel moribus securus sit, & eis singula, ut utile iudicauerit, consignet custodienda, atque recolligenda. Ex quibus Abbas breuem teneat, ut cum sibi in ipsa assignata, fratres vicissim succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem sordide, aut negligenter res monasterij tractauerit, corripitur. Si non emendauerit, disciplinæ subiaceat.

*Q*uemadmodum in Regimine Domus secularis non sufficit pater familias, qui intus, & foris sit caput, neq; mater cuius munus est speciatim curare res domesticas: sed ultra hos necessarij etiam sunt famuli, ac famulae, qui viliora domus exercitia, ac ministeria compleant. Ita & in Monasterio non possunt Abbas, Prior, & Cellerarius soli vniuersa peragere, sed opus est, ut alios sibi officarios (uti suprascriptum est) in adiutorijs sub rogent. Eos itaq; Prælatus prudenter deligat prout cognouerit unquamq; illi muneri esse idoneum. Et qui taliter electi fuerint omni diligentia

tia, obedientiam sibi impositam exequantur, res comunes, ut sibi proprias custodiētes: Principioq; officij sui quilibet, res sibi creditas, per inuentarium, accipiant, ut in fine cuncta fideliter resignare possint, aut quandocunq; Pralato visum fuerit. Qui Pralatus teneatur habere in libro, aut quomodolibet aliter, copiam omnium inuentariorum, quam nouis ministris tribuat, & ab eis in fine suorum officiorum requirat: ac diligēter examinet si quicquam deest, si adiuncta aliqua, si restaurata, aut dissipata. Et quos bene custodisse inuenierit, collaudet, pollicens sibi mercedem à domino expectandam. Quos uero dissipasse repererit, puniat & castiget, pro; criminis qualitate: Neq; amplius talia sibi munera demandentur.

At quoniā Theauri Monasteriorum sunt ipse scripturę, & Codices: mādant Patres, ut eorū diligētissima cura habeatur. Vtq; id fieri cōmode possit, ordinarunt, ut scripturę omnes uniuersā Cōgregationē concernentes, ut sunt Priuilegia, Bullę, Indulta, Exēptiones, Gratię, Donationes, et id genus alię seruentur sub fideli custodia, & citra periculū ignis, humidi, et cuiuslibet alterius rei, quę illis nocumento esse possent; Seruentur inquā in Abbatia, seu Monasterio nostro sancti Michaelis de Murano in Vrbe Venetiārū. Volunt nihilominus, ut in quolibet Monasterio copia, ac transumpta huiusmodi preuilegiorū habeantur presertim maxime necessariorū, nō ea dūtata causa, ut Patres illius Monasterij in euētibus illius dom^o, ipsis uti ualeāt, uerū etiam ut in capitulis uel ubicunq; opus fuerit

rit, possint de eis loqui, & eas tueri, & defendere pro libertate ecclesiastica.

Quantum vero ad Bullas, & alia scripta magni momenti, cuiuscunq; Monasterij, ac loci, ordinatum, ut in principalibus prouinciaru Monasterijs seruentur omni diligentia, ut supra, nempe Bulle prouincię Venetiaru in loco sancti Michaelis de Murano: Bulle prouincię Flaminie, in Abbatia Classis, in urbe Rauenna: Bulle Monasteriorum Ibuscię in Monasterio Angelorum in vrbe Florentia; Bulle Monasteriorum Umbria, ac Marca Anconitanę, in loco sancti Blasii de Fabriano. Vnum quodq; tamen Monasterium teneatur habere transumpta apud se priuilegiorum, sibi specialiter concessorum. Curent vero predicta quatuor Monasteria ita & taliter omnia prescripta Prouincię priuilegia separatim in capsis, & armarijs seruare, vt nulla facta permixtione, vnum quodq; Monasterium sibi propria, facile, cum libuerit, reperire valeat. Vtq; omnia ista effectui quamprimum mandentur, precipiunt patres sub grauib; pœnis, omnibus, & singulis nostrę congregationis Prælati vt infra sex menses ab harum publicatione, dicta Priuilegia, Exemptiones, & Gratia, suis, quasi dictis metropolis, resignare debeant: reseruando ut dictum est, apud se transumpta, & inuentaria, & nomina eorum, qui vel resignarunt vel receperunt. Et si pro cōseruatione harum scripturarũ in dictis quatuor Monasterijs opus esset fabricare Archiuũ, & armaria: seu alias expensas facere: cuiuslibet prouincię Monasteriũ, pro
rate

vata cōcurrat: dūmodo hęc quātocius effectū mādentur. Super quo R. P. Generalis inuigilabit.

Et quoniam opus est, non solum ea, quę intra Mena sunt Monasterij custodire, uerum etiam & quę extra, possessiones nimirū, ac prędia, quę victum, & cetera Monachis suppeditant necessaria, pro statu temporali: ordinarunt, quod ultra alios Ministros (si Monasterij magnitudo id requirat) instituaturs villicus, siue Monachus, siue Conuersus, aut cōmissus, cuius partes sint diligenter inuisere ipsa prędia, ac pro posse curare ut optime custodiantur, plantentur arbores, innoctur uites, dom^o resarciatur, ac reliqua omnia quę fuerint necessaria fiant. Hic autē villicus, qui erit quasi quidā subcamerarius, omnino ab ipso Monasterij, p̄siede, depēdeat ita ut sine eius cōsilio, ac licētia nihil q̄ alicuius sit momēti, faciat. Memineritq; se taliter huiusmodi temporalia curare (id enim fieri pōt) ut nō amittat aeterna. Quāquā satius esset si id tēpus cōcederet, ut eiusmodi millicationis officij, laico comiteretur. Vbi uero prędia essēt intra decē miliaria à Monasterio: uillico nō est admodū opus; cū p se solus Camerarius ea facillime curare posse uideatur. Deniq; institutionem dicti uillici ita esse uolunt p̄ncipes Pręlatos, ut possint instituere, uel non instituere, prout eis expediens uisum fuerit.

Quoniā rursus non nulli sepe facultates Monasteriorū usurpare tentāt, & multas, ac uarias ob id lites excitant: ubi se ab his Camerarij tueri nō possent, ordinarūt, ut unus, uel plures procuratores Monachi instituātur, qui in eiusmodi litib^{us} una

cum ipso Camerario, & Prælato partes ecclesiæ tueantur, ac tamē modestia, quæ decet religiosos. Et si hanc quoq; provinciam alicui laico Prælatus demandare fidenter posset, satius esse, idem Patres iudicarunt, Quoniam uero in iisdem quatuor principalibus Monasteriis uolunt Patres, ut non solum scripturæ supradictæ, sed & pecuniæ Quindenniorum, ut dicimus custodiantur, & afferuentur; ea propter præcipiunt, ac uolunt, ut teneatur uigore huius constitutionis omnes, & singuli Prælati cuiuslibet provincie; realiter & in effectu singulo quoq; anno deponere portionē Quindennij suorum Monasteriorum apud Prælatum principalis Monasterij provincie illius sub pœna amissionis prælaturæ, ipso facto. Quam pœnam nec Generalis ipse, nec Patres Definitorij, cuiusuis excusationis prætextu, possint ullo pacto remittere.

Capfa autem, in qua reponi, ac custodiri debent huiusmodi pecuniæ, tribus claudatur clauibus, quarum unam teneat ipse Prælatus Monasterij depositarij, alteram Prior, uel Supprior. Tertiam uero eiusdem Canobij Camerarius. Prælati uero qui eas deponunt, faciant de huiusmodi depositione, sibi fidem fieri à Prælato, qui eas receperit, & subscribi à dictis Priore, uel Subpriore, & Camerario: siue à duobus ex senioribus, qui in effectu uiderint ipsas pecunias in ipsa capsa reponi, ac numerari. Abbatiæ tamen sanctæ Mariæ de Carceribus permittitur, ut ad apud semetipsam suum Quindennium seruet, licet nō sit vna è dictis quat

tuor: hac tamen lege, ut & ipsius Abbas teneatur ferre ad capitulum quotannis sicut & ceteri Prælati, fidem Prioris, a duobus senioribus subscriptam, in qua habeatur, quod vniuersam summam Quindēny sui Monasterij reposuerit, atq; reliquerit effectualiter in capsâ sub pœna, ut supra.

SI QUID DEBEANT MONACHI
propriam habere. Cap. XXXIII.

Precipue hoc vitium radicitus amputetur de monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis, neq; aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem; neque tabulas, neque grafium, sed nihil omnino, quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia vero necessaria a patre monasterij sperare, neq; quicquam liceat habere; quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omniaq; omnibus sine communia, ut scriptum est, nec quisquam suum esse aliquid dicat, vel præsumat. Quod si quisquam huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delictari, admonetur semel, & iterum, si non emendauerit, correctioni subiaceat.

Quod ad capitulum hoc Regule, in quo sanctus Pater præcipit, vitium proprietatis radicitus a suis Monachis extirpari: in primis mandant Patres id totum inuolabiliter obseruari, quod in eo continetur, quodq; a sacro Tridentino Concilio, & canonibus, circa illud idem decretum est. Deinde vero ad faciliorem dictorum obseruantiam, præcipiunt Prælatis omnibus, ut diligentius curent, ne Monachi quidpiam apud se, vel pœnes

nes alios possideant, quod non faciliter, ac uultu hilari, suo Prælo quancumque ei visum fuerit libenter resignent. Utantque ne alicui rem aliquam, tam mobilem quam immobilem, ad usum, quoad vixerit, concedere præsumant: cum huiusmodi concessiones proprietatem quandam sapere videantur. Et non solum nolunt, ut liceat alicui Monacho habere redditus annuales cuiusvis generis, nec sub aliquo pretextu, sub grauibus pœnis à Prælo iniungendis: verum etiam, ut nec pro se, nec pro alijs, quidpiam pecuniarum, aut aliarum rerum à parentibus uel amicis, sine expressa Prælati licentia, petere audeant. Si quis item Monachus venderet, distraheret, aut alio pacto alienaret, vel comutaret libros, vestes, aut quascumque res alias: à Prælo graui pœna mulcetur, Et si emptor fuerit si militer Monachus, eodem pacto puniatur, Venerunt quoque ne ullus omnino nostræ congregationis Monachus (exceptis Camerarius, & alijs Monasterij officarijs, ratione officij) audeat pecunias apud se retinere, uel expendere, absque expressa Prælati licentia. Sed quicumque pecunias quomodocumque habuerit, teneatur illas Prælo suo quantocius præsentare, & de illius consensu illas expendere. Nullus item possit quorumcumq; deposita pecuniarum, uel aliarum rerum recipere, nisi Prælatus: & tamen ipse teneatur illud duobus, vel tribus eiusdem Monasterij Monachis palam facere, ut eius rei sint tanquam testes. Nemini quoque licet: beneficia,

eccle-

ecclesias, domos, prædia aut rem quamuis aliã ad emphitheosim, uel alio pacto cõducere, uel sibi propria facere: sed omnia, quæ Monachus possidet, talia sũt, ut ea Prælati ad libitũ auferre, cõmutare, ac distrahere absq; cuiuscunq; præiudicio, queat. Et qui pro huiusmodi, uel domibus, uel beneficijs, aut prædijs cõducendis, alicuius Principis fauorem exposceret grauiori pœna puniatur; nec sibi de illo, q; querebat, Prælati ullo pacto complacent. Caterum Monachis taliter Prælati de omnibus necessarijs prouideant, ut omnis proprietatis occasio tollatur. Quod si secus fecerint, & necessitates Monachorum, uel proprietatem dissimulauerint: pro certo sciant de his omnibus reddituros esse rationem in die iudicij: et fore participes peccatorũ omnium, quæ à Monachis sibi subditis, causa proprietatis, admittẽtur. Qui uero Monachus in præscriptis defecisse deprehensus fuerit, & in proprietatis uitium incidisse, seuerè puniatur, & ultra alias pœnas, Monasterium illi pro carcere ad annũ assignetur, ita ut ex eo nullo pacto egredi possit.

Ordinariũt præterea Patres, ut officarij omnes, qui pecunias retinent, ac expendunt, teneantur ad arbitriũ suorum superiorum, rationẽ suę administrationis reddere: Nempe R. P. Generalis, ac Visitatores singulis annis, ipsis patribus Distinguitoribus, uel cui ipsi commiserint: Camerarij, Monachi, & Conuersi suis prælati, quancumq; fuerint requisiti: Ipsi uero Prælati cum ex itinere redierint, teneantur reddere rationem expensarum

L suis

fuis Camerarijs; nam alias pecuniam expendere Prælati non deberent. Qui autē in huiusmodi ratione reddenda reperti fuerint, non bene officium suum administrafse, seuerè puniantur ad arbitriū Patris Generalis. Secus autem si ignoranter in aliquo deliquissent, tum enim mitius cum eis esset agendum. Volunt insuper, ut Prælati omnes librum habeant peculiarem, in quo pecuniæ omnes quæ mutuo recipiuntur, scribantur, addita persona a quo recipiuntur, & notato tempore, & causa, pro qua huiusmodi mutuū accipitur. Et qui huic ordinationi contrafecerit, per quinquennium omni dignitate priuetur. Et talis libellus, quotannis, ad capitulum deferatur, vt Patribus, Monasterij status innotescat.

Si alicui ex Monasterijs nostris ratione alicuius professi, uel quomodolibet aliter, hereditas aliqua deuoluatur, cuius partem Monasterium ipsum, ueluti exequitor in eleemosinas, uel quolibet aliter distrahere teneatur, nolunt patres, ut villo pacto fiat mandatum executionis ei cuius causa huiusmodi hereditas ad Monasterium est deuoluta, sed ad vitandam proprietatis umbram, alteri qui nullam cum tali affinitatem habeat, cōmittatur. Quod si secus ad saluandam testatoris mentem, fieri nequeat, tum Prælatus certum eiusmodi exequutori præfigat tempus, exequendi mandatū præscriptum, ultra quod, illud protrahere aliquo pacto non valeat.

Et quoniam in auro, & argento proprietatis vitium, maxime accidere solet, vetant Patres, ne
quis

quis nostræ congregationis Monachus furcinulas, aut coclearia argentea habeat, vel auriscalpia, & huiusmodi. Et si qui nunc habent, auferat ab illis Prælati, & Sacristiæ applicet. Si vero Prælati ipse habuerit, uel alios habere (à notitia harum, permiserit) etiam num secrete, sit priuatus in proximo futuro capitulo uoce, tam actiua, quam passiuæ. Et quoties id permiserit, toties simili pœna puniatur. Consuetudinem uero illam à nō nullis annis introductam donandi certam pecuniæ summam Portarijs Hospitarijs, Coquis. & huiusmodi, capituli generalis ministris, tollere uolentes, & abrogare ceu religiosos minime decentem, præcipiant Patres dictis Ministris, ut nō solum dictū donatiuum non petant, uerum etiam sponte oblatum, non recipiant, sub pœna priuationis utriusq; uocis, per biennium: quā sane pœnam subire etiā uolunt, qui dona huiusmodi dederint. Cum hoc tamen uetare minime uolunt quin aliquod munusculum, citra pecuniam, dari talibus possit, ut diligentius patribus suis in seruiant.

SI OMNES AEQUALITER DEBEANT necessaria accipere.

Cap. XXXIII.

Sicut scriptum est, diuidatur singulis, prout cuique Sops erit. Vbi non dicimus, ut personarum (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Vbi qui minus indiget, agar Deo gratias, & non tristetur. Qui uero plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia, & ita

L ij omnia

omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicumq; causa in aliquo qualicumq; verbo, vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, destructioni disciplinae sub datur.

Quemadmodum non sunt aequalia merita, aut virtutes, seu omnium hominum necessitates; ita quamuis omnibus de necessarijs sit providendum, non tamen equaliter, sed pro meritōrū, ac complexionū exigentia. Itaq; cōformiter ad Divi Patris instituta sanxerunt Patres, ut quilibet nostrae congregationis frater, siue Monachus sit, siue conuersus, quot annis à suo Monasterio infra scripta habeat vestimenta; Tunicā videlicet, cum habitu, aut Cucullam, aut quod dicimus vn Guar dacuore, aut Pallium. Ultra vero vnū dictōrū vestimentorum, habeat etiam tuniculam, seu stamineam; caligas item laneas; Duo paria vdonū, seu calceolorū; par crepidarum in festo omnium sanctorum, & par solearum de mense Maij. De qualitate autem vestium, & mensura suo loco dicitur. Habēda tamen est ratio personarum: quoniā sunt non nulli, qui minūs vestium consumunt, quidā vero plurimū. Item aliqui sunt frigoris magis patietes aliqui vero minus, vel ratione aetatis, vel complexionis. Quamobrem debet Prælati multa uti prudētia; & tribuendo singulis necessaria, pro facultate monasterij, sēper tamē esse vigil, ut qui de religione bene sunt meriti, specialius, ut par est, provideātur. Qui vero ob aetatem, aut validiorem complexionē paucibus indigēt, gratias agāt Deo,

Et murmurationibus non vacet. Et ii qui ultra predicta pluribus indigent, non dedignentur humiliter necessitates suas Pralato exponere. Qui quidem Pralatus conari pro viribus debet, omnibus et singulis re ipsa satisfacere, & si non plene id efficere queat, saltem consolatorijs verbis, se patrem benignum illi ostendere. Neque vero ii laudandi sunt, siue Presules sint, siue Camerarii, qui verbis durioribus subiectos fratres, et sibi necessaria poscentes, sepe numero alloquuntur. Tales enim, re vera, locum pralationis indigne occupant; inhumani in patres; acerbissimi in fratres; hircana gestantes corda; et lapideos animos. Caueant igitur superiores ne huiusmodi Monasterijs praeficiant. Contra vero, murmuratores vestium, cibi, potusue, acrius puniantur, praesertim cum citra rationem conqueruntur.

DE SEPTIMANARIIS COQUINAE. Cap. XXXV.

Fratres sic sibi inuicem seruiant, ut nullus excusetur a coquinæ officio, nisi aut ægitudine, aut in causa grauis utilitatis quis occupatus fuerit, quia ex inde maior merces acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis aut positionem loci. Si maior congregatio fuerit, cellarius excusetur a coquina, uel si qui (ut diximus) maioribus utilitatibus occupantur. Cæteri vero sibi sub charitate inuicem seruiant. Egressus de septimana Sabato munditias faciat. Linteamina, cum quibus sibi fratres manus ac pedes terunt, lauet. Pedes vero tam ipse qui egreditur, quam ille qui intraturus est, omnibus lauent.

Vasa ministerii sui munda, & sana, cellario recôsignet qui Cellarius item intranti consignet, ut sciat quid dat, aut quid recipit.

Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes & panem, ut hora refectionis sine murmuratione, & graui labore seruiant fratribus suis. In diebus tamen sollempnibus, vsque ad missas sustineant. Intrâtes autem & exeuntes hebdomadarij, in oratorio mox matutinis finitis dominica, omnium genibus prouoluantur postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimana dicat hunc versû. Benedictus es domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me. Quo dicto tertio, accipiat benedictionem egrediens. Subsequatur ingrediens & dicat. Deus in adiutorium meum intede. Domine ad adiuuandum me festina. Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus, & accepta benedictione, ingrediatur.

Quoniam D. P. Benedictus in hoc 35. capitulo Regulae neminem ab officio coquina exemptum esse declarat, ea propter Patres veterè consuetudinem nostræ congregationis omittentes. Ordinauerunt ut non solum Conuersi, sed ad eam teneantur & clerici: qui non fuerint, senio, infirmitate, uel grauioribus negotijs impediti. Menses vero, festalibus diebus, Quiriti, seu iuuenes seruiant, accipiendo cibos à Ministris culinae, & deferendo eos patribus. Atque, diebus festis, ipsi met Conuersi ministrabunt mensis. Possint autem huiusmodi mensarum seruitores, ac ceteri omnes officiarij, qui non ad Priorem mensam accedere possunt, tentaculum accipere; bucellam nimirum panis, ac vini ciathum, nec quippiam aliud; exceptis tamen diebus ieiuniorum Ecclesie, si legitimè habeant

beant etatē, ac ieiunij aptam. Tum enim, hoc est ieiuniorum diebus, nihil sumant. Idem mensarum seruitores vna cū ipso lectore infine mensa venias suas faciant in medio refectory, neq; surgant, quo usq; ipse Prælatus signum faciat. Officiarij vero Coquina diligenter officium suum, & cum omni uitore, ac munditia exequantur. Nullum ingredi permittant in eorum officinam sine expressa licentia Prælati. Non permittant ibidem carnes, sed in coquina infirmorum coquantur pro ipsis infirmis, vel debilibus. Nulli fratri singularem pietatiam tribuat, si bene valet, nec quippiam aliud particulare, absq; licētia Prælati, seu Camerarij. Prælatus vero, nō nullis vicibus in anno, tenetur prima mensa ministrare: nimirum feria quinta in cena Domini, Dominica Resurrectionis, Dominica Pentecostes, & in die Natalis Domini.

Vbi dicitur in Regula, Intranses autem &c. Meminerint exeuntes hebdomadarj mensa, dicere, sicutis Matutinis laudibus Dominica, medio Chori, tribus vicibus (totidem idem repetendo choro) Benedictus es domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me. quo dicto Hebdomadarius Sacerdos dicat, respondendo choro, & stante ipso iuvene in medio chori, profunde inclinato, Ver. Saluum fac seruum tuum Resp. Deus meus sperantem in te. Ver. Convertere domine usq; quo. Resp. Et deprecabilis esto super seruum tuum. Ver. Dominus vobiscum. Resp. Et cū spiritu tuo. Oremus. Deus cui humilium accepta sunt vota animarū, respice propitius

super huius seruitui fratris nostri obsequiū,
 & ad tuam eum fac pertingere gratiam, vt qui
 peractæ hebdomadæ seruitia deuota mente cō
 plenit, plenissimā atq; largissimā per te ueniā
 consequatur, per Christum dominum nostrū.
*Qua oratione absoluta, intrans hebdomadarius
 similiter dicat ter, Deus in adiutorium meū in
 tende. Domine ad adiuuandū me festina. Quo
 dicto idē hebdomadarius Sacerdos, ut supra, respō
 dendo choro, dicat Ver. Saluum fac seruū tuum.
 Resp. Deus meus sperantem in te. Ver. Mitte
 ei auxiliū de sancto. Resp. Et de sion tuere eū.
 Ver. Dominus vobiscū. Resp. Et cū spiritu tuo,
 Oremus, misericors, ac pijsime Deus, qui vbiq;
 famulos tuos tueris & adiuuas, huius serui tui,
 fratris nostri in bonū accumula votū, auge de
 siderium, vt recte fratribus suis impendat ser
 uitia, per Christū dominum nostrum. Postquā
 benedictionem, incipiat sequenti mane idem inue
 nis, ut Accolitus seruire Altari, & sequenti die
 Priori mensa fratrum.*

DE INFIRMIS FRATRIBVS.

Cap. XXXVI.

Infirmorum cura ante omnia & super omnia adhi
 benda est, vt sicut re vera Christo, ita eis seruiatur
 quia ipse dixit. Infirmus sum, & visitastis me. Et quod
 fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis. Sed &
 ipsi infirmi considerent, in honorem Dei, sibi seruari,
 & non superfluitate sua contristent fratres suos, ser
 uientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt,
 quia

quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata, & seruator timens Deum, & diligens, ac sollicitus. Balnearum vsus infirmis quotiens expediat offeratur, sanis autem, & maxime iuuenibus tardius concedatur. Sed & carnum esus infirmis omninoque debilibus pro reparatione concedatur. At ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito omnes abstineant, curam autem maximam habeat Abbas, ne a cellariis, aut seruatoribus negligantur infirmi, quia ad ipsum respicit, quicquid a discipulis delinquitur.

ET si cuncta Misericordię, ac charitatis opera Erga proximum, Deo quam gratissima sunt & cum, ob purum eius amorem fiunt, sibi facta reputet: nihilo tamen minus ea, quę circa agrotos exercentur, longe suę Maiestati gratiora sunt, propterea non mirum si Diuus Benedictus in hoc capitulo precipit suis Monachis, ut infirmis nõ secus, ac Christo inseruiant. Eius itaq; vestigijs inherentes, precipiunt Patres sub grauiori pœna, omnibus & singulis nostrę cõgregationis Prælati, vt præscriptũ xxxvi. capitulũ omnino obseruari faciãt, & in nullo pœnitus, quod ad infirmos attineat, posthabeatur, Habeat igitur vnũquodq; Monasteriũ medicũ pbificum stipendio conductum, qui sit boni nominis in arte sua, ac bonę famę in moribus: Itemq; chirurgicum, quos moneant Præsules, eadem vti diligentia erga minores, qua vtuntur erga maiores, cum omnes pariter Dei Altissimi sint famuli, ac filij. Idemq; inculcēt infirmarijs, vt nulla ducti spe premi, nisi cœlestis, personarũ acceptionem habere circa agrotos non videantur.

Nullus audeat sine expressa licentia alium adire, vel accersire medicū, aut ab alio curari, quā ab eo quem dicimus stipendio conducī debere. Prælatus sæpe suos inuisat infirmos foueat, consoletur, & in Christi viscēribus diligat; non secus, ac, immo multo magis quam Patres carnales filios suos: cū Dei amor in proximos excellere debeat quemuis carnalem affectum genitoris ad liberos suos. Nullus item Monachus consulat medicum etiam ordinarium, sine licentia Prælati, neq; sumat medicinam aliquam, quæ custodiam vitæ requirat, sine speciali licentia medici.

In mensa infirmorum, ac debiliū legatur saltem in principio, et in fine, aliquid de sacra scriptura, aut gestis sanctorum. Neq; senibus, ac debilibus, seu infirmis, non decumbentibus dentur carnes, nisi semel in die: nisi forte aliter medicus ordinauerit: & nunquam refectiois gratia, alicui detur ultra dimidiam libram carniū, sed omnes contenti sint pīlantia sex vnciarum. Et sint infirmi in omnibus obedientes suis infirmarijs, & custodibus, citra tamen Dei, ac proximi offensam. Ipsi vero infirmarij discreti esse debent, affabiles, benigni, & summa prædicti charitate. Vbi in Regula dicitur Balneorum vsus &c. intelligunt Patres de Balneis, quæ antiquitus intra Monasteria fiebant. Vnde ad Balnea extra Monasterium declarant, nullum posse accedere, sine licentia Patrum Dēfinitorum, uel in necessitate, Patris Generalis, aut in prouincia Vicarij. Verum huiusmodi licentia, non nisi raro concedatur, et cum aliter
 infir-

infirmis subueniri non potest, & de consilio prudē-
tis medici, ac Deum timentis. Qui vero taliter li-
centiati ad Balnea fuerint, de omnibus necessarijs
diligenter provideantur, & eis socij assignentur,
qui & morum præstantia fulgeant, & charitatis
visceribus sint induti, ut hoc pacto valeant, & in-
firmi diligentem habere curam, & proximis in
exemplum esse virtutis. Dum autem ad Balnea
pergunt, vel indere ertuntur, in ipso itinere nul-
lo pacto digrediantur, causa visendorum parentū,
amicorum, vel alia. Qui vero contrafecerit pœ-
ne gravis culpæ subiacet. Et qui reperti fuerint
Prælati circa curam infirmorum negligentes; ab
ipso Patre Generali, seu à Definitoribus, acrius
puniantur, cum indignus sit nomine patris, & om-
ni dignitate, ac prælatura, qui subditos sibi Mona-
chos, non uti vere filios, cum omni charitatis affe-
ctū prosequitur. Nulli uero nostræ Congregatio-
nis Monacho, aut Conuerso liceat quauis de cau-
sa, se ad domos secularium curandum transferre,
vel maioris curæ gratia, vel quomodolibet aliter:
nisi forte contingeret quempiam in itinere infirma-
ri, vel in oppidis, vbi Monasteria non habemus:
Et qui huic constitutioni contrauerit, ex comu-
nicari valeat, & censeri Apostata.

Si quis vero Prælati hanc licentiam manen-
di extra Monasterium, alicui infirmo præbuerit,
vel ipse sibi hanc eandem facultatem fecerit, ca-
reat perpetuo omni prælacione, ac dignitate in or-
dine nostro.

DE SENIBVS VEL INFANTIBVS.

Cap. XXXVII.

Licet ipsa natura humana trahatur, ad misericordiã
 Lin his ætatibus: senum videlicet, & infantum: tamẽ
 & regulæ auctoritas eis prospiciat, Consideretur sem-
 per in eis imbecillitas: & nullatenus eis districtio re-
 gulæ teneatur in alimentis: sed in eis pia cõsideratio:
 & præueniant horas canonicas.

Post vbi D. Benedictus de infirmis decumbenti-
 bus locutus est, optime sciens, senectutẽ morbũ
 esse naturalem incurabilem: itemq; pueritiã, cum
 nondum in ea perfectus sit homo: loquitur in hoc
 capitulo de ipsis senibus, & pueris: monens Præla-
 tos, ut nullo pacto cum eis secundum regulæ rigo-
 rem procedant, sed discrete, & benigne. Confor-
 miter itaq; ad hoc capitulum ordinarunt Patres,
 quod senes, & alij, qui secundum iudicium Præla-
 ti, licet, quantum ad annos, & ætatem non sint se-
 nes, tamen ob imbecillẽ complexionem, ac mem-
 brorum debilitatem computandi inter senes vidẽ-
 tur, habeat vnusquisq; propriam cameram in in-
 firmaria, ubi, & ignis accendi commode possit, &
 vbi priuatim comedere valeat, etiam ante horam
 conuentus: & vbi cetera omnia sibi ministrari
 possint, quæ illi ætati congruunt. Ipsi vero iam se-
 nes adiudicati, conentur quantum possunt non es-
 se Ministris tedio, sed ueluti Dei famuli cum Bene-
 dictione, eorũ seruitutẽ gratã habeant, & si quid
 forsan eorũ uotis deerit, patienter ob Christi amo-
 rẽ serue addiscãt; neq; cõturbent alios cũ suis mur-

murationibus, & male lectis, sed in eorum debilitate quietū domino famulatū, & ipsi exibeant. Circa pueros, quoniam non recipiuntur, nostris his temporibus, eius teneræ ætatis, quā pluribus in locis inuere videtur D. Pater, sed natu maiores, ut puta xv. saltē annorum: non videtur patribus solēnem illā considerationem, circa illos esse habēdam, quæ in regula notatur, Attamen præcipiunt Magistris, ut habita ratione ætatis maioris, vel minoris, itē complexionis, ac roboris, tirunculos suos discrete, ac per benigne tractent, & non secundū regulæ rigorem. Quamobrem in ieiunijs regularibus aliquid plus cibi eisdem tribuere poterunt in sero, quam quod alij Monac, his comuniter condonatur.

DE HEBDOMADARIO LECTORE.

Cap. XXXVIII.

Mensis fratrum edentium lectio deesse non debet, nec fortuito casu qui arripuerit codicem, legere audeat ibi sed lecturus tota hebdomada, dominica, ingrediatur. Qui ingrediens post missas & comunio- nem; petat ab omnibus pro se orari: vt auertat ab eo deus spiritum elationis. Et dicatur hic versus, in oratorio tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Et sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendū. Sūmumq; fiat silentiū ad mensam, vt nullius musitatio, vel vox nisi solius legētis ibi audiatur. Quæ vero necessaria sunt comedētibus, & bibētibus, sic sibi inuicē ministrent fratres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuius-

CUA-

cunq̄ue signi potius petatur, quam voce ne præfumat
ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quicquam re-
quirere, ne detur occasio, nisi forte prior pro ædifica-
tione voluerit aliquid breuiter dicere Frater autem
hebdomadarius accipiat mixtum prius quam Incipiat
legere, propter comunione sanctam. & ne forte gra-
ue sit ei ieiunium sustinere Postea autem cum co-
quinq̄ hebdomadarijs, & seruatoribus reficiat, Fratres
autem non per ordinem legant aut cantent, sed qui
ædificent audientes.

NE unquam nos Diabolus ociosos inueniat,
sed semper in aliquo bono, ac laudabili ope-
re occupatos, ordinat D. Benedictus in hoc supra
dicto capitulo Regulae, quod in mensa semper ali-
qua sacra lectio habeatur. Cuius quidem obser-
uantiam inuiolabiliter obseruari præcipientes
Patres; mandant (quatenus dicitur in regula,
ut lector petat ab omnibus pro se orari) quod
die Dominico, qui ad mensam lecturus est, ea heb-
domada, stans in medio Chori, post Missam ter-
tie, tribus vicibus dicat. Domine labia mea
aperies, & os meum annunciabit laudem tuam:
& totidem vicibus idem repetat Chorus. Dein-
de uero ab hebdomadario sacerdote dicatur, re-
spondente Choro, & stante ipso lectore in medio
Chori profunde inclinato. Saluum fac seruum
tuum, Resp. Deus meus sperantem inte. Ver.
Mitte ei domine auxilium de sancto. Resp. Et
de sion tuere eum. Ver. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus. Aufer ab
hoc famulo tuo quesumus domine, spiritum
elationis, & ignorantiae: vt repletus spiritu hu-
mili-

militatis, & scientiæ, intellectum sacræ capiat
lectionis, per Christum Dominum nostrum.
Deinde pulsata campanula, & facta benedictio-
ne mensæ: accedens lector in medio refectory di-
cat. Iube domne Benedicere. & responso à ma-
iore, ut in breuiariis, vadens ad locum lectionis,
exordiat. Quod ad silentium omnino illud in
mensa seruari mandant, & qui illud uel semel fre-
gerint, bis in medio refectory in terra commedât,
aut duobus diebus silentium ubiq; teneant. Quo
vero ad lectiones, hic ordo seruabitur.

Dominicis diebus per totum annum legatur
imprimis Homilia Euangelij currentis deinde, fa-
cto signo à prelato, legatur capitulum regulæ cū
sua declaratione secundum ordinem: postremo si
tempus aderit, non nihil de moralibus sancti Gre-
gorij, aut quid simile. In solemnitatibus uero ple-
nis, ac plenissimis, & duodecim lectionum, lega-
tur primo vita illius sancti, deinde capitulum Re-
gulæ. Quod si illius sancti Historia, uel vita mini-
me haberetur, tum primo loco legatur Homilia
Euangelij, & postremo moralia Diui Gregorij.
Diebus uero ferialibus, legatur de sacris volumi-
nibus, uti habetur in Rubrica, quæ est in fine Bre-
uiarij, cuius principium est Prima Dominica &c.
Et hic ordo in omnibus locis nostræ congregatio-
nis, sub grauiori pœna seruetur. Vbi dicitur in
Regula, Post Missam, & comunionem, innui-
tur, quod singulis diebus Dominicis iuxta Augu-
stini consilium, illi antiqui Patres (inter eos enim
paucissimi erant sacerdotes) communicabant. Ve-

rum circa hoc seruetur vt supra .

*Vbi item dicitur Ingre diatur ad legendum .
 precipiunt, vt lector habita benedictione, non ex-
 ordiatur quousque frates omnes confederint ad
 mensam . Similiter nullus incipiat comedere, nisi
 post breuē lectionis sententiam , & facto signo a
 prelato . In fine vero mense, nemo recedat , aut
 surgat nisi dicto Tu autem Domine &c. & re-
 sponso Deo gratias . Et lector non imponat le-
 ctioni finem, nisi facto signo cum campanula à pre-
 lato . Tum enim dicere debet . Tu autem Domi-
 ne miserere nostri . Nullum à lectione, seu lectu-
 ra mensa exemptum esse volunt , nisi Abbatē vel
 Priorem, & titulares, si qui in Monasterio ade-
 runt . Declarant item Prælatum non debere à lo-
 co suo discedere , quousq; mane dixerit , stando,
 Confiteantur tibi Domine &c. & infero Me-
 moriam fecit mirabilium suorum . Indecens
 enim videtur vt ea, ambulando dicat .*

DE MENSURA CIBORVM.

Cap. XXXIX.

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tā
 sextæ, quam nonæ omnibus mensis cocta duo pul-
 mentaria , propter diuersorum infirmitates , vt forte
 qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Er-
 go duo pulmētaria cocta fratribus sufficiant. Et si fue-
 rint inde poma , aut nascentia leguminum , ad datur
 & tertium . Panis libra vna pro pensa sufficiat in die
 siue vna sit refectione, siue prandij & cœnæ. Quod si cœ-
 naturi sunt, de eadem libra tertia pars a cellario refer-
 tiatur, reddenda cœnaturis . Quod si labor forte fa-
 ctus

Aut fuerit maior, in arbitrio, & potestate Abbatis erit si expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, vt nunquã surrepat monacho indigeries. Quia nihil sic contrariũ est omni Chrilliauo quomodo crapula, sicut ait dominus noster. Videte, ne grauetur corda vestra in crapula, & ebrietate. Pueris vero minori ætate nõ cadẽ seruetur quantitas, sed minor quã maioribus, seruata in omnibus parcitate. Carnium vero etiã quadrupedum omnino ab omnibus absteineatur comeftio, præter omnino debiles & ægrotos.

Quod ad mensurã ciborũ attinet, de qua D.P.

Bened. in præscripto huius capitulo Regule loquitur, declarãt patres antiquã nostræ cõgregationis consuetudinẽ sequentes, quod in diebus ieiuniorũ, quouis anni tẽpore detur monachis acetariũ vel crudũ, vel coctum: Deinde singulis singule gabbatę, cũ brassicis, vel alio obsonio ministrẽtur, demũ piclãtia duorũ ouorũ, et si tẽpus piscium fuerit, dimidia libræ recẽtis piscis apponatur. Si vero dentẽ salsamẽta, quatuor tãtũmodo vncijs piclãtia ipsa cõslet. At si nõ ieiunatur, mane duo tantũ feracula dentur, pulmentũ nimirũ coctum; et piclãtia cũ geminis ouis. Vesperĩ vero acetariũ crudum, et piclãtia, vel piscis, vel ouorum, pro tẽpore. Extra autem tẽpus ieiuniorũ ecclesię, tã de mane, quam de sero (praterquam cum dantur pisces) semper in fine non nihil casei detur, hoc ordine. Incipiendo hinc inde a sumitate mensarum, et uersus finẽ progrediendo, unusquisq; quantũ sibi collibuerit, modeste tamen accipiat. Fructus itidem, et poma pro tempore, tam prandio, quã cenæ apponãtur iuxta dispensatoris prudentiam. Ceterum possit abbas superaddere his, quæ narrata sunt, prout ei uisum

M fuerit

fuerit pro facultate Monasterij, lociq; , personarū temporis, aeris qualitate. Nunquam tamen carnes neq; intus, neq; extra Monasterium, etiam in itinere, a Monachis nostrae cōgregationis comedere permittitur, nisi in infirmitate. Qui vero huic ordinationi cōtrauenerit, si cōiuncti fuerint, uel cōfessi, tot diebus in pane, & aqua ieiuent, quot diebus carnes comederunt. Si quis uero comedere occulte, sub scrupolo conscientiae, teneatur dicere pro qualibet uice, septem psalmos penitentiales, cum suffragijs. Vbi dicitur in Regula Panis libra vna, declarant (cum pondus vnius librae temporis illius, ac loci, uti referunt patres Montis Casini, fuerit triginta trium unciarum, ac dimidie ex nostris, nec tantum panis vix in vno die quispiam Monachus comedere possit) declarant inquam, ac ordinant, maiorum vestigijs inbidentes, ut in mensa, nulla habita ratione ponderis, tantum panis in mensa vniciq; fratri apponatur, quantum ei necesse fuerit. Extra vero Refectorium, & debitas comestionis horas, nullus Monachus, aut conuersus; nec etiam officarij comedere audeant, aut quippiam alimentorum sumere, sine expressa Praelati licentia. Et qui cōtra fecerit, grauiter puniatur. Quo ad pueros, cum Magister eis aliquid infero, tempore ieiuniorū dare statuerit, faciet illos in mane acetarium, uel caesum, aut tale quid omittere. Studeāt demum fratres sobrietati, scientes quod in multis escis erit infirmitas, ut habet cap. N E C tales de Cōsecratione, Distin. quinta. Certis uero annis diebus,
duo

duæ piſtantiæ dari ſolent , nempe feria quinta in cœna domini, Sabbatho Sancto, die Paſchatis Reſurrecciónis, & in vigilia Natiuitatis Domini . Contra vero aliquibus diebus non niſi panis cum acetario , & fructibus ſuper nudam menſam datur, videlicet die veneris Sancti (quo die eſſet ieiunandum in pane, & aqua, ſed ob labores chori, & cantus diſpenſatur) feria tertia ante cineres , & comeditur in hoſpicio . Feria vero ſecunda cœnât fratres in reſectorio ſed cibos Quadrageſimales .

Vbi dicitur in Regula . Carnium vero quadrupedum, credunt patres (ſecundum opinionem aliquorum) textum eſſe mendosum, & legendum eſſe . Carnium vero etiã quadrupedum omnino &c. Voluntq; per hunc locum , eſus carniũ omnino interdici Monachis noſtris , tam quadrupedum, quam uolatilum , & omnium aliorum , iuxta id, quod habetur in notabili capitulo . Carnẽ cuiquã Monacho, de Conſecra. diſtin. quinta.

Si quis in Dormitorio, quippiam comediſſe deprehendus fuerit , aut comediſſibile aliquid, præter quam poma, & fructus huiusmodi, tenuiſſe; panis, & aquæ ieiunio, ac alijs grauibus pœnis puniatur , Aliquibus demum vitibus in anno conſuetum eſt in hoſpicio comedere, ubi tum cibi ad libitum prælati apponuntur, dummodo non ſint generis prohibitorum , nec dentur plures, quam duæ piſtantiæ . Sed non eſt hic ſilentio prætereundum, quod ad menſam debent ſtare Monachi honeſte , & cum modeſtia, non cubitis ſuper menſam appoſitis , & non nimium inclinato capite , pariterq; non ni-

mia acceleratione, aut nimia tarditate, sed moderata seruata granitate, comedere; ut eum decet, qui vere Monachus esse cupit.

DE MENSURA POTVS.

Cap. XXXX.

VNusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic. Et ideo cum aliqua serupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum continentes imbecillitatem, credimus eminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciunt. Quod si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit, in arbitrio Prioris consistat, considerando in omnibus ne surrepat satietas, aut ebrietas, licet legamus vinum omnino Monachorum non esse. Sed quia nostris temporibus id Monachis persuaderi non potest, saltem, vel hoc consentiamus, vt non vsq; ad satietatem bibamus, sed parcius, quia vinum apostatarum facit etiam sapientes. Vbi autem necessitas loci exposcit, vt nec superscripta mēsurā inueniri possit, sed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant & non murmurent. Hoc autem ante omnia admonemus, vt absq; murmurationibus sint.

Quemadmodū in Præcedenti capitulo de cibo D. P. Benedictus sermonē habuit, ita nūc de potu tractationē facit. Et quidem in hac parte nihil aliud Patres addere statuerunt, nisi monere Prælatos, ac Cellerarios, ut vinū eque temperatū, et in eadem mensura omnibus propinetur. Vbi vero dicitur in Regula, Vna Emina vini, sciendum est (iuxta eorundem Patrum Montis Casini velerationem

tionem) eam mensuram multo plus vini capere, quā possit unū religiosus, vna die bibere. Quā obrem statuerunt Patres, ut vinum sine eiusmodi mensura, ad necessitatē fratrum propinetur in mēsis. Caueant vero omnes ab ebrietate, ne impanā incurrant, qua volunt canones debere ebrios clericos puniri. Et enim in capitulo Ante omnia, in prima Decretorum Patre distin. 36. habes, q̄ triginta dieb. à Communionē abstinere debet clericus quē ebrium fuisse constiterit. Et re vera, eodē loco; paulo superius, habetur. Vbi ebrietas ibi libido dominatur, & furor. Et licet luxuriā faciat, & nutriat, non natura vini, sed nimia perceptio, vt in cap. Luxuriā; Attamen qui posset à vino abstinere, esset plane beatus, cum iuxta Apostoli sententiā in eo sit fons luxuriæ. Et antiquitus sacerdotes qui ministrabant in tēplo Dei, prohibebātur vinum, & siceram bibere, ne crapula, & ebrietate aggravarentur corda eorū. cap. Vinolentum eadem Distinctione. In Refectorio non solum Monachi, sed, & seculares, si quando forte aderint, bibāt in pateris terris, et fictilibus, aut simplicibus cithis, ac sine pede; et ambobus manibus. Extra vero Refectoriū bibere possint in scyphis vitreis cū pede, et alijs cōsimilibus uasculis, religiosos tamē de cētibus. Districte uero prohibent ne post hac: ut hactenus quibusdam locis assitatum est, estiuo tēpore, ante cellam vinariam ponatur vas vino plenum: ex quo omnes ad libitum bibere possint. Id enim absōnum esse videtur à Religiosorū modestiæ & sobrietate. Si qui vero talibus tēporibus, circa

vesperas, & ante dormitionem bibere aliquantisper uoluerint, de licentia Patris Abbatis adeant Refectorarium, & cum socio silenter biant; tam & si satius esset extra horas prandij, ac cenæ, aqua pura, frigidaq; sitim extinguere: cum nihil aliud esse videatur sitis, quam appetitus humidi, & frigidi. Quas sane qualitates aqua, magis, quam vinum possidet. Cæterum Prælati, qui hunc ordinem seruari non curabunt, grauius puniantur: & si Definitoribus uisum fuerit, omni Prælatione priuentur.

QVIBVS HORIS OPORTEAT reficere fratres. Cap. XLI.

A Sancto Pascha usq; ad pentecosten ad sextam reficiant fratres, & ad seram cænent. A pentecoste autè, tota æstate, si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat; quarta, & sexta feria ieiunent, usq; ad nonam, reliquis uero diebus ad sextam prandeant. Quæ prandij sexta, si opera in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis sit prouidentia. Et sic omnia temperet, atq; disponat, qualiter animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absq; ulla murmuratione faciant. Ab idibus autem Septembris, usq; ad caput quadragesimæ, ad nonam semper reficiant fratres. In quadragesima uero usq; ad pascha ad uesperam reficiant. Ipsa tamen uespera sic agatur, ut hinc lucernæ non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei omnia confumentur. Sed & omni tempore siue cænx, siue refectiois hora sic temperetur, ut cum luce diei fiant omnia.

Quantum ad horã comestionis, de qua beatus Pater in præscripto capitulo tractat, declararunt Patres, tempore ieiuniorum, extra quadragesimam prandendum esse post nonã. In Quadragesima vero post vespervas, circa meridiẽ. Cum vero nõ ieiunatur, post sextã. A die xij. Septembris, vsq; ad Dominicã Palmariũ, quãdo nõ ieiunatur, Nonã statim post gratias à prandio dicatur. Reliquis vero anni tẽporibus, dicatur post silentiũ & dormitionẽ diei. Ita tamen ut sẽper, per spatiũ vnus hora ante vespervas p soluta sit. Cœne vero hora ita tẽperetur, ut omnia, si comode fieri poterit, cũ diei luce, iuxta Regulã ordinationem, fiant. Vbi Regula dicit, A Sancta Pascha, addunt Patres, etiam ab vno paschate ad aliud, feria sexta sẽper esse ieiunandum, ob memoriã Dominicę passionis. A festo sancte Crucis Septembris, vsq; ad Pascha Resurrektionis, ieiunium quod dicitur Regulare, vt hætenus factum est, omnimodo obseruetur: ita vt nullus, nisi de licentia Abbatis, vel Maioris: iussis de causis, uiolare præsumat. Qui Abbas ita moderate omnia disponat (habita locorum, temporum, ac personarum ratione; iuxta admonitionem patris) ut Anima saluentur. In prædictis ieiunijs Regula, vespervi pro collatione detur solum aliquantum panis, & vini: exceptis feria quarta, & sexta, in quibus dumtaxat fructus, seu poma aliqua, & vinum apponi debẽt. Et qui huic constitutioni contrafecisse deprehensus fuerit, sequenti mane in pane, & aqua solũ ieiunabit, nõ quidem in medio Refectorij, sed in mensa vbi solet.

VT POST COMPLETORIVM
nemo loquatur. Cap. XLII.

OMni tempore silentio debent studere Monachi, maxime tamen nocturnis horis. Et ideo omni tempore siue ieiunij, siue prandij, si tempus fuerit prandij, mox vt surrexerint a cœna, sedent oēs in vnum, & legat vnus collationes, vel vitas patrum, aut certe aliquid quod ædificet audientes, non autem epitacum aut regum. Quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora, hanc scripturam audire, alijs vero horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerit, dicta vespera, paruo interuallo, mox accedant ad lectionem collationum, ut diximus, & lectis quatuor aut quinque folijs uel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus per hanc moram lectionis, si quis forte assignato sibi comisso fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in vnum positi compleant. Et exeuntes a completorio nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod si inuentus fuerit quisquam præuaricari hanc taciturnitatis regulam, grauiori uindictæ sub iaceat, excepto si necessitas hospitum superuenerit, aut forte Abbas alicui aliquid inliserit. Quod tamen & ipsum cum summa grauitate & moderatione honestissime fiat.

Cum ex se satis clarum sit capitulum hoc Regule, nullam aliam declarationem, circa ipsi Patres fecere nisi quod distinte præcipiunt omnibus, & singulis, illius obseruantiam. Quod ad lectionem ordinarunt ut (quod supra tactum est) collectis fratribus in capitulo, uel claustro ecclesiæ proximiori, legantur collationes patrum. Sed de completorio iam satis dictum est. Sciendum est tamen est, quod in Choro, Dormitorio, Refectorio,
Clau-

Claustreis, & præsertim ecclesiæ uiciniori, ubi solui solet silentium, & in locis comunibus, non solum post completorium, sed semper seruandum inuiolabiliter est silentium. In Quadragesima uero, ut alibi dictum est seruetur, quousq; à Præfato fuerit dispensatum. Quoniam uero silentium non solum loquendo frangitur, sed etiam & magis aliquo sonitu, rumore, uel strepitu: ideo inuiolabili obseruatione cauetur (ut est etiam in Cōsuetionibus Heremi) ne unquam, horis silentio deputatis, aliquid in Cella, uel extra cellā Monachi, uel cōuersi in officinis quicquam operentur quod sonitum aliquem, aut strepitum possit causare.

DE HIS, QUI AD OPVS DEI,
vel ad Mensam tarde occurrunt.

Cap. XLIII.

AD horam diuini officij, mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur, cum grauitate tamen, ut non scurilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod si quis ad nocturnas uigilias post gloriā psalmi nonagesimi quarti (quæ propter hoc omnino protrahēdo, & morose uoluntus dici) occurrerit, nō stet in ordine suo in choro, sed uultimus omnium stet, aut in loco quæ talibus negligētibus seorsū constituerit Abbas, ut uideatur ab ipso, uel ab omnibus, usq; dum cōpleto opere Dei, publica satisfactione præniteat. Ideo autē eos in ultimo, aut seorsū iudicauimus debere stare, ut nisi ab omnibus, uel pro ipsa uerecūdia sua emendētur. Nam si extra oratoriū remaneant, erit forte talis qui se aut collocet, & dormiat, aut certe sedeat foris, uel fabulis uacet, & datur occasio maligno. Sed ingrediatur intro, ut nec totum perdat, & de reliquo emendetur.

Diurnis

Diurnis autem horis qui ad opus Dei, post versum & gloriam primi psalmi, qui post versum dicitur, occurrerit lege, quam supradiximus, in ultimo stet, nec presumat lociari choro psallenti vsq; ad satisfactionem, nisi forte Abbas licentiam dederit permissione sua, ita tamen vt satisfaciatur reus ex hoc. Ad horam vero refectiois qui ante versum non occurrerit; vt simul omnes dicant versum, & orent, & sub vno omnes accedant ad mensam, qui per negligentiam suam, aut ritum non occurrerit, vsq; ad secundam vicem pro hoc corripitur. Si denuo non emendauerit, non permittatur ad mensam communis participationem, sed sequestratus a consortio omnium reficiat solus sublata ei portione sua vini vsq; ad satisfactionem, & emendationem. Similiter autem patitur qui, & ad illum versum non fuerit presens qui post cibum dicitur. Nec quisquam presumat ante statutam horam, vel postea quicquam cibi vel potus percipere. Sed & si cui offertur aliquid a Priore, & accipere renuerit, hora qua desiderauerit hoc quod prius recusauit, aut aliud omnino, non percipiat, vsq; ad emendationem congruam.

Circa hoc capitulum pauca admodum occurrunt dicenda, cum eius obseruantia in Monasterijs nostris, bene institutis, Dei munere, vigeat. Illud tamen Prælati in memoriam reducere voluerunt, non esse omnibus æqualiter Chori ingressus interdicens, sed qui tardius ad sacrum se presertarunt locum, illi profecto diutius extra detinendi sunt, vt vel saltem hoc pacto magis erubescant, et deinceps non relabantur in idem. Si quis vero ita arrogans, & inobediens extiterit, ut non habita à Prælato licentia, ingredi presumpserit, non obstante sua negligentia, chororum; eodem mane, vel sequenti in solo pane, & aqua in medio

medio Refectory comedat, et ultra hoc per totum illud diem clausus in cella maneat. Quicumque lectioni, quæ ante Cõpletorium legitur tardus ad uenerit, statim genuflectat, nec surgere audeat donec fuerit ei à Pralato, nutu aliquo significatum: tum enim surgere debet, & sessum ire. Qui uero lectioni dictæ non interfuerit, non habita licentia à Pralato, non ualeat, neq; audeat eorum ingredi, etiam si cõpletorium tum inchoaretur, nisi prius factò signo ingrediendi à Pralato. Cum uero aliquis, non semel tantum, & iterum in mense, sed frequenter negligentia ductus, à sequela chori se subtrahat, non solum debet Pralatus diutius illum extra chorũ cum rubore detinere, sed etiã ab illo subtrahere cascum, uinum, uel poma in mensa, uel aliquando etiã num pietantiã: Et dũ mittit alios deuotiores Monachos solati, & animi gratia recreandi foras illũ ueluti negligẽtiore, domi clausũ intra Monasterij septa retinere. Si quis in Refectory uenerit, mensa in choata, profunde inclinatus, orando maneat, usq; ad signũ Pralati, & tum ad mensam cum alijs ingrediatur. Si quis uero, dum cum alijs in congregatione fuerit in capitulo mensa, choro, uel alibi, opus habuerit inde recedere ad paruum tempus: genuflectens, uel inclinans, ab eo, qui præst, ulla uerborum prolatione, licentiam petat: & factò à superiori signo, abeat. Qui uero recesserit, non tum reuersurus, exponat Pralato causam suæ discessionis. Pralati uero in suis Monasterijs, absente Patre Generali, nulli licentiam petant. Et si tarde in chorũ, uel Refecto-

rium venerint, ob aliquod negocium, statim ad loca sua pergant; nemini, nisi Deo optimo Max. inclinantes. Similiter cum recedere eis opus fuerit, recedant ad libitum, nec alicui licentiam, cum sint ipsi maiores omnibus, petant. Extra uero Monasterium propriam licentiam petant, ut alij. Similiter Prælati titulares in Monasterijs licentiam à Prælato ordinario petant.

DE HIS QUI EXCOMMUNICANTVR
quomodo satisfaciant. Cap. XLIII.

Qui pro grauioribus culpis ab oratorio & a mensa excommunicatur, hora qua opus Dei in oratorio per celebratur, ante fores oratorij prostratus iaceat, nihil dicens, nisi tantum posito in terra capite, & prostratus pronus, omnium de oratorio excurrentium pedibus se proiciat. Et hoc tandiu faciat usque dum Abbas in dicauerit satisfactum esse. Qui cum iussus ab Abbate uenerit, prouoluet se ipsius Abbatis pedibus, deinde omnium uestigijs fratrum, ut orent pro eo. Et tunc si iusserit Abbas, recipiatur in choro, uel in ordine quo Abbas decreuerit ita sane, ut psalmum, aut lectionem uel aliud quid non præsumat in oratorio imponere, nisi iterum Abbas iubeat. Et omnibus horis dum completur opus Dei proiciat se in terram in loco in quo stat. & sic satisfaciat, usque dum ei iubeat iterum Abbas, ut quiescat iam ab hac satisfactione. Qui uero pro leuibus culpis excommunicantur tantum a mensa, in oratorio satisfaciant usque ad iussionem Abbatis. Et hoc semper faciant usque dum benedicat, & dicat suffici.

Inter alias pœnas, quæ posita sunt transgressionibus nostrarum Constitutionum, uti supra

narrauimus, computantur, & prostrationes, quas
 io hoc capitulo D. P. Benedictus satisfactiones ex
 communicatorū uocat. Declarāt itaq; Patres, hāc
 pœnam iniungendam per tres dies ad matutinū, et
 in egressu à mensa ijs, qui nō uelut fugitini, sed ob
 alias causas a Monasterio sine licentia, ut supra
 recesserunt, retento nihilominus habitu. Nam sē
 habitum abijcerent, tum uelut fugitini essent pu-
 niendi. Similiter declarant ad obseruantiam hu-
 ius capituli, has prostrationes fieri debere per to-
 tidem dies, & post omnes alias penitencias, ab ijs
 qui uere essent indicati excommunicati, aut ob ali-
 quod aliud flagitium carceri fuissent mancipati.
 Pro alijs culpīs reus satisfecisse intelligatur, post
 ubi facta pœnitentia, benedictionem, & aliquam
 admonitiōē à Prælato acceperit. Non est autem
 silentio prætereundum, ex hoc capitulo apertissi-
 me elici distinctionem superius allatam, de triplici
 excommunicationum genere.

DE HIS QUI FALLUNTUR in oratorio. Cap. XLV.

Quis dum pronunciat psalmum, responforium, aut
 Santiphonā, uel lectionē, fallitur, nisi cū satisfactio-
 ne ibi corā omnibus humiliatus fuerit, maiori vindi-
 ctæ subiaceat, quippe qui noluit humilitate corrigere
 quod negligentia deliquit. Infantes uero pro tali cul-
 pa vapulent.

Humiliatio, quæ fieri debet in choro quando
 quis in aliquo errat, ut puta male legendo,
 uel cantando, & quæ præcipitur in hoc capitulo,
 huius-

huiusmodi est. Errans in sillabis, uel non puntando ubi debet, uel ante tempus inchoando uersum, aut tarde finiendo & insimilibus leuibus, culpam suam, suo loco manens, fateatur, genufleclendo, & tundendo pectus. Qui uero Antifonas, aut uersiculos, uel psalmos, aut capitula, uel orationes, nõ recte diceret; sed unum pro alio; siue fuerit sacerdos, siue nõ, prosternet se, & terram deosculetur. Quilibet etiam Monachus, post ubi dixerit suas duas lectiones, antequã ad suum locum ueniat, se prosternat humiliter in medio Chori, & confitendo culpam, deosculetur pauimentum, Pueri uero ultra has humiliactiones, ad arbitrium Magistri puniantur, discrete tamen, et cum modestia. Et qui errando, non se humiliauerit, tum pœne grauioris culpæ, uelut arrogans, & superbus omnino subiaceat.

DE HIS QUI IN ALIQVIBVS rebus leuibus delinquant. Cap. XLVI.

SI quis dũ in labore quouis, in coquina, in cellario, in monasterio, in pistrino, in orto, in arte aliqua, dũ laborat, uel in quocũque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, uel aliud quid excesserit ubiubi, & non ueniens continuo ante Abbatẽ vel congregationem ipse ultro satisfecerit & prodiderit delictum suum, cum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi. Si animæ uero peccati causa latens fuerit, tantum Abbati, aut spiritualibus sênioribus patefaciat, qui sciant curare sua & aliena uulnera, non detegere, ac publicare.

Tribus modis manifestantur peccata Religio-
 forum, uel reuelādo ea Prælato, eo ordine quē
 Diuus Pater docet in hoc loco, uel generaliter cō-
 fitendo culpas suas in capitulo, uel demum Patri
 spiritali, in confessione sacramentali. De primo
 modo cum in hoc capitulo fusius tractetur, nihil
 Patres addere noluerunt, nisi quod mandant eius
 obseruantiam, ita uidelicet, ut Monachi delinquē-
 tes suo Prælato: Nouitiꝝ uero suo Magistro, si
 quippiā errati comiserint, de ijs quę in hoc capitu-
 lo notātur, adnuncient: alioquin si aliter admisis-
 se conuicti fuerint, pœne grauioris culpe subiace-
 ant. Quantum ad secundum modum, præcipiunt
 patres, in omnibus Monasteriis nostrę congrega-
 tionis qualibet feria sexta, ut moris est, post pri-
 mam diuini operis horam, in capitulo culpas Mo-
 nachorum esse à Prælato audiendas: nec ullum Mo-
 nasterium, ob paucitatem fratrum excusetur. Die-
 bus uero Dominicis, Conuersi teneantur suas, etiā
 ipsi, culpas dicere. In uigilia uero Natalis, ac Pē-
 tecostes fiant culpæ generales cum solita confes-
 sione, & absolutione, & cum tribus psalmis gra-
 dualibus, Ad Dominum cum tribularer. Leua-
 ui oculos meos, & Letatus sum. Et similiter fiat
 in qualibet feria sexta Quadragesimæ: sed uice
 psalmorum, Prælatus det disciplinam, dicendo su-
 per quolibet fratrum dum uerberat. Misereatur
 tui omnipotens Deus &c. Feria uero quinta in
 Cæna Domini dicantur culpæ confessione genera-
 li, & fiat absolutio cum tribus dictis psalmis. Fe-
 ria autem sexta in Parasceue, non dicantur cul-
 pæ

pe sed tantummodo disciplina detur a Pralato, stantibus ipsis fratribus, non in medio prostratis, ut alijs ferijs sextis sed in locis suis genuflexis, & pectore inherentibus scamnis, super quos sedere solent. Præcipiunt etiam Patres, non obstante qua vis consuetudine in contrarium, quod dum di-
 Etæ culpæ generales fiunt, semper stent fratres in medio genuflexi, & nunquam prostrati, aut inclinati. Quo ad tertium modum de quo in Calce huius capituli sit sermo, hortantur omnes, & singulos, ut frequentius delicta sua patri spirituali confiteri uelint; sed talem deligant, qui sciat inter lepram & lepram (ut est in prouerbio) discernere, & animas curare, non perdere. Et ad maiorem meritõrum cumulum mandantes, præcipiunt (ut alio est loco dictum) ut bis saltem in hebdomada, quisq; nostræ Congregationis Monachus confiteatur sacramentaliter sacerdoti. Satius tamen esse, qui Missas cælebrent frequentius confiteri, & si fieri posset ad sacrum altare sine preuia illius diei confessione nunquam accedere. Confessionem item generalem de qua supra, declarant fieri debere etiam a Pralato, & Monachis coram Patre Generali, statim ut ingressus fuerit capitulum gratia uisitacionem intimandi.

DE SIGNIFICANDA HORA operis Dei. Cap. XLVII.

Nuncianda hora operis Dei die noctuque sit cura Abbatis, ut aut ipse nunciet, aut tali sollicito fratri nungat hanc curam, ut omnia horis competentibus
 com-

compleantur, psalmos autem uel antiphonas, post Abbatem ordine suo quibus iussum fuerit imponant. Cantare autem & legere, non præsumat, nisi qui potest ipsum officium implere, ut edificentur audientes. Quod cum humilitate, & grauitate, & tremore fiat, & cui iusserit Abbas.

Cum satis, superq; in superioribus capitulis dictum sit de qualitate Diuini officii, de Psalmis, Antiphonis, Responsorijs, ac lectionibus: de hora, qua dicendū est, & alijs, hoc loco tantummodo uisum est patribus hæc pauca addere. Nimirū q; ex antiqua, etiam diu recepta ab omnibus cōsuetudine, ad sacristas attinet, Monachos ad officium conuocare signo campanæ. Eius igitur diligentie erit, si erit suū Monasteriū in Ciuitate, sequi in pulsatione ordinem, & horā aliorum Monasteriorū, in quibus extant Monachi, sub eadem nostra Regula militantes: et diebus festis ordinem Cathedralis ecclesiæ quo ad fieri poterit: præcipue uero in tertia, & uesperis.

Quoniam uero Sacerdotes ignari in sacris literis plurimum damnantur, & pollicetur Deus optimus Maximus, eos se repulsurus sacerdotes, qui legem suam ac sciētiam abiecerunt: fieriq; nequit, ut ab indoctis religiosis Diuina officia recte persoluantur, & cum satisfactione populorum. Id circo Patres nostri (occasione eius, quod habetur in hac parte Regulæ in uerbis, Cantare autem & legere non præsumat &c.) bene institutarum religionum exempla sequentes ordinariūt, ac præcipiunt districte Prælati infra scriptorum

N Monasteria

Monasteriorū, vt selectis, cū consilio seniorum, ijs inuembus, qui idonei ad literas perdiscendas censentur, eis Magistrum assignent, qui diligentissime eos doceat Gramaticen primū, deinde Rethoricam, ceterasq; bonas artes, quæ religiosum hominem decent, & ad sacram scripturam intelligendam plurimum conferunt: postremo ijs studijs se totos tradant, sine quibus confessiones audire periculosum est, ac penè impossibile. Et si non habeantur in Monasterijs tales Magistri, ex alia religione petantur, vel è seculo, dummodo sint viri bonæ famæ, morigerati, ac de fide Catholica bene sentientes; debitaq; eis merces, pro facultate Monasterij, ab Abbate, & Patribus constituantur.

Vt autem ista effectui mandentur, presenti constitutione præcipitur, vt in omnibus Monasterijs, vbi uestiuntur Nouitij, vel vbi sunt inuenes, Studijs apti, teneatur Magister, qui eos gramaticam doceat, & Monachus ex senioribus, qui eos in cantu plano instruat. Vltra vero hos Magistros, in Monasterio Sancti Michaelis, & Sancti Matthie Venetiarum, in Abbatia Carceris, in Monasterio Classis Rauennæ; in Monasterio Angelorum Florentiæ: in Monasterio Sancti Blasii de Fabriano; & in Abbatia Sanctæ Crucis de Auellana, habeatur lector, qui logicam doceat, & alius, vel idem, qui sacram scripturam legat, iuxta decreta sacri Concilij Tridentini.

Quoniam vero sine libris, impossibile est studijs operam dare, præcipiunt dictorum Monasteriorum præfectis, vt quantocius Bibliothecā in suo

Mona-

*Monasterio, quisq; erigat, cum ijs libris, qui neces-
 sarij censebuntur, & eius cura vni particulari de-
 mandetur, sine cuius licentia, vel Prælati nullus
 ingredi in eam possit, nisi iuuenes illi studentes.
 Quibus etiam Abbas vnum ex senioribus presi-
 ciet, qui eos intra religiosorum limites contineat,
 ne forte studiorum occasione dissoluantur. Neq;
 vero hoc in loco tacendum est, quod quibusdam
 non suffragatur contra nos, vt videtur eis, Diui
 Hieronimi sententia in sacris Canonibus, Can. xvi.
 quest. prima, cap. Monachus, vbi dicitur, Mona-
 chum non docentis, sed plangentis officium habe-
 re: cum sanctissimus iste Doct̃or eo in loco de ijs lo-
 quatur Monachis, qui siluas incolebant, nec sacris
 vt plurimum erant initiati. At qui sacerdotes,
 qui modo vrbes incolunt, rem sacram faciunt, pec-
 catorum confessiones audiunt & à multis sæpe cõ-
 filia pro animarum salute petuntur; quis unquam
 sanæ mentis dicat non debere asse in lege sacra pe-
 ritos, & Doctos? Adde his, quod illi quibus de
 sacer, ille doct̃or loquitur otium aliter vitare po-
 terant, labori manuum & agrorum culturae incũ-
 bendo, quod nostræ tempestatis Monachis minime
 par est. Et quis rogo, fuit Hieronimus? non ne,
 & ipse Monachus? Quis obsecro Basilus? Quis
 ue Gregorius? non ne omnes Monachi? & tamen
 suis doctrinis, Christi ecclesiam plurimum illustra-
 runt. Obmutescant igitur illi omnes, qui hæc obij-
 ciunt. Cæterum eo res nostræ deuenerunt, vt si nõ
 reparentur sacris studijs, religionem omnem peri-
 re necesse sit. Refriguit siquidem charitas, &*

Christi amor; deuotioq; vt plurimum à Monaste-
 rijs exulat, & nisi lectione sacrorum librorum, &
 orationibus reuocetur, actum est de nobis. Eia igitur,
 viri Camaldulenses, ociu[m] omne procul abij-
 cientes, erigite mentes, tollite animos, & talem li-
 teris operam impendite, vt non amplius numerus
 & fruges consumere nati, passim vocitemini. In
 mentem veniat Generalis Ambrosii, viri eruditif-
 simi, exemplum, qui nostram tam insigniter decora-
 uit Religionem, nunquam non vsq; ad sydera tol-
 lendum. Subeant Petri Candidi, Delfini, Iustinia-
 ni, & tot aliorum doctissimorum patrum monu-
 menta, nunquam e Bonorum memoria peritura.
 Illud semper præ oculis sit, bonarum literarum
 studia, religiones, ne dum in suo candore seruasse,
 verum etiam plurimum extulisse. Iis inuigilate,
 hec sectamini, ab ijs ne separemini. Hic, nempe
 in studio literarum, Deum cognoscetis, eius boni-
 tatem, sapientiam, maiestatem; ac perinde feruen-
 tius amabitis: vestram sic clarius miseriam huma-
 nam intuebimini, imbecillitatem, indigentiam.
 Vosq; hic esse exules, ac cælum vobis patriam, læ-
 ge melius, studendo sacris paginis, cognoscetes, in-
 gemiscere, ac etiam num Monachi officium exple-
 re haud difficulter poteritis, sed iam satis de ijs di-
 ctum est. Vt autem eo iam redeat, vnde nostra di-
 scessit oratio; sacrista, de quo iam dictum est su-
 pra, eligatur de numero sacerdotum: eiusq; mu-
 nus sit in primis, Diuini operis horas, die, noctuq;
 secundum regulam, & constitutiones, significare;
 debitoq; spatio, & congruis interuallis campanã
 pul-

pulsare: ecclesiam, sacrarium, capitulum, sacrata
 vasa, & sacras vestes, altariumq; ornamenta, &
 vniuersam ecclesie supellectilem mundam, integrã
 semper custodire: lampades accensas continue con-
 seruare: Candelas Altaribus apponere: ecclesiam
 & altaria, quando ornanda sunt (subsacristis au-
 xiliantibus, vel Nouitijs) ornare; & quando au-
 ferenda sunt ab eis ornamenta, auferre, & suis
 queq; locis omnia reponere: Ecclesiam claudere,
 & aperire: hostias facere, & cum Abbate de
 mutationibus Diuinorum officiorum, & de cele-
 brandis Missis tractare: librorum omnium ad Di-
 uina peragenda deputatorum, curam gerere:
 eosque in quibus ad Nocturnas vigilias lectio-
 nes legenda sunt, in choro preparare, & ipsas le-
 ctiones, nec non Euangelium, post Te Deum lau-
 damus, perlegendum, vel cantandum inuenire, ac
 signare, ut non opus sit, dum Diuinum celebratur
 officium, hæc inquirere. Quæ omnia, vt melius
 possit adimplere sacrista, dentur ei, si maior erit cõ-
 gregatio, coadiutores videlicet, iuuenis qui non
 sit sub cura Magistri, & conuersus ad vtiliora il-
 lius obedientie seruitia peragenda. Memi-
 neritq; ipse sacrista, quanta, & fides
 & munditia, & diligentia eum
 deceat, qui semper ha-
 bet sacra tracta-
 re.

DE OPERE MANVVM QVO-
tidiano. Cap. XLVIII.

Ociositas inimica est animæ. Et ideo certis tempo-
ribus occupari debent fratres in labore manuum,
certis iterum horis in lectione diuina. Ideoque hac di-
spositione credimus vtraq; tépora ordinari, idest vt a
pascha vsq; ad calend. Octobris mane exeuntes a pri-
ma vsque ad horam penè quartam laborent, quod ne-
cessarium fuerit. Ab hora autem quarta vsq; ad horã
quali sextam lectioni vacent, post sextam autem surgẽ-
tes a mensa pausent in lectis suis cum omni silentio,
aut forte qui voluerit sibi legere, sic legat, vt aliũ non
inquietet. Agatur nona temporius mediante octaua
hora, & iterum quod faciendum est operentur vsque
ad vesperam. Si autem necessitas loci, aut paupertas
exegerit, vt ad fruges colligendas per se occupentur,
non contristentur. Quia tunc vere Monachi sunt, si
de labore manuum suarum viuunt, sicut & patres no-
stri, & Apostoli. Omnia tamẽ mensurate fiant propter
pusillanimes.

A calend. autem Octobris usque ad caput quadra-
gesimæ vsq; ad horam secundam lectioni vacent, ho-
ra secunda agatur tertia, & vsque ad nonam omnes in
opus suum laborent quod eis iniungitur. Facto autem
primo signo horæ nonæ disjungant se ab opere suo sin-
guli, & sint parati, cum secundũ signũ pulsauerit. Post
refectionẽ autẽ vacent lectionibus suis, aut psalmis.

In quadragesimæ vero diebus a mane vsque ad ter-
tiam plenam lectioni vacent, & vsq; ad decimam ple-
nam operentur, quod eis iniungitur. In quibus die-
bus quadragesimæ accipiant omnes singulos codices
de bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant,
qui codices in capite quadragesimæ dandi sunt. Ante
omnia sane deputentur vnus, aut duo seniores, qui
circumeant Monasterium horis quibus vacant fra-
tres lectioni, & videant ne forte inueniatur frater acci-
dio-

cidiosus, qui vacet ocio, aut fabulis, & non sit intentus lectioni, & non solum sibi inutilis sit, sed etiã alios extollat. Hic talis si (quod absit) repertus fuerit, corrigatur semel & secundo, si non emendauerit, correctionem regulari subiaceat, taliter vt ceteri metum habeant. Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis his qui varijs officijs deputati sunt. Siquis vero ita negligens & desidiosus fuerit, vt non velit, aut non possit meditari, aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, vt non vacet. Fratribus infirmis, aut debilitatis talis opera, aut ars iniungatur, vt nec ociosi sint nec violentia laboris opprimantur, vt effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

Cum occupationes Monachorum nostris bisce temporibus, multo plures existant, quam vnquam fuerint, tum circa Diuina officia persoluenda, tum circa alia, difficile visum est Patribus posse ad unguem Monachos hoc capitulum Regula seruare: presertim cum in hyeme uix tempus ad ipsas horas canonicas persoluendas, & alia necessaria per agenda, sufficiat. Nihilominus, vt quo ad fieri potest, seruetur, precipiunt quod medium illud tempus quod intercedet inter horam vnã Canonicam, & aliam, fratres studeant utiliter expendere, vel in aliqua obedientia, vel lectione, aut oratione, secundum quod aetati, gradu, & cuilibet conditioni conuenierit.

Sic enim, et antiqui nostri Patres faciebant. Inter quos alij studijs vacabant, alij vero, minus studijs apti, diuersis manuũ exercitijs operã dabãt uel pingẽdo tabulas, & parietes ad honorem Dei

ac sanctorum; uel acu sacras uestes miro artificio elaborando: uel codices cantus plani, pro Choro nitide, & equaliter scribendo, & miniando, uel libros per utiles ad posterorum commodum ingeniose edendo, uti est uidere in pluribus nostrae Congregationis Monasterijs. Vbi dicitur in Regula, Post sextam autem, surgentes à mensa &c. Dispensant Patres cum fratribus, ut possint à prandio, per dimidium horæ, animi gratia, per viridarium, aut aliquam aliam Monasterij partem. In qua nõ sit perpetuum silentium, deambulando simul, de rebus sanctis, aut literis colloqui. At uero a Dominica palmarum usq; ad festum Sanctæ Crucis Septembris, transacta hora, post primam mensam, pulsatur campanula ad dormitionem: & tum ubiq; locorum Monasterij usq; ad nonam, silentium seruetur, maxime uero ubi fratres quiescunt. Post dormitionem, facto signo, dicatur Nona, & reliquum temporis ab officio, dormitione, & mensa, lectionibus, collationibus, studijs, & orationibus expendatur. Conuersi uero manibus laborando, ocium ueluti hostem perniciosissimum, semper in se sentur. Cum quippiam agitur ad quod plures conueniant, ut puta, cum fit panis, & huiusmodi, precipiunt patres, ut semper aliquid spirituale ibi legatur. Vbi item in Regula dicitur. Neq; frater ad fratrem iungatur, horis incompetentibus, declarant patres horas incompetentes esse, horas officij Diuini, silentij, Mensarum: horas nocturnum, & Gimnasia, respectu studentium: quoniam talibus horis huiusmodi exercitijs vacari debet.

Qui autem tempore diurnæ dormitionis, quiescere nolunt, caueant omnino, dum alicui rei student in cella, ne aliquo rumore, vel strepitu quiescentibus sint molesti. Nam sunt aliqui (ut est in heremi nostræ constitutionibus) qui in cella comorantes, tota die, quasi quodam Demonis impulsu, uagationisq; spiritu agitati, nunquam eodem loco persistere possunt. Sed magno cum strepitu uaria opera, eadem hora, incipere, & dimittere solent: Quod sane uagationis uitium, & instabilitatis, miserrimum est, & nimis detestabile. Studeant igitur Monachi, in cella consistentes, in eodem loco, in eodem opere stabiliter, quantum res exposulat, persistere, & non faciliter tedio cedentes de loco ad locum, de opere ad opus, transire, Similiter extra cellam non facile discurrant Monachi, ne exterioris hominis grauitas, & animæ puritas corrumpatur. Nouerint etiam, quod sicut quieto, & stabilitatis studioso Monacho, cella, & silentium, salutissimum, ac suauissimum ab omnibus seculi astibus, & tentationum incendijs, refugium præbet: & tanquam portionem exhibet deliciarum paradisi: Ita inquieto, & instabili, cella instar carceris & uidentis sepulture, & tormentarie officine efficitur, & afflictionum maximam exhibet occasionem.

In omnibus igitur, & per omnia, quam maxime fieri potest, studeat Abbas, ut seruentur in suo Monasterio, quæ hoc supradicto capitulo continentur, est enim omni ex parte multa consideratio dignum sicuti etiã est, quod in hac materia scribitur

Hier.

*Hier. ad rusticum Monachum, & habetur in cap.
Nunquam de Consecr. Distin. quinta.*

DE QVADRAGESIMAE OB-
seruatione. Cap. XII.

Lect omni tempore vita Monachi quadragesimæ
debeat obseruationem habere, tamen quia pauco-
rum est ista virtus, ideo suadet mus istis diebus quadra-
gesimæ, omni puritate vitam suam custodire, omnes
pariter negligentias aliorum temporum his diebus
sanctis diluere. Quod tunc digne fit, si ab omnibus
vitiis nos temperemus, orationi cum fletibus, lectioni
& compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam de-
mus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad so-
litum pensum seruitutis nostræ, orationes peculiare,
ciborum & potus abstinentiam, & vnusquisque super
mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cū
gaudio sancti spiritus afferat Deo, idest subtrahat,
corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacita-
te, de scurilitate, & cum spiritualis desiderij gaudio
sanctū pascha expectet. Hoc ipsum tamen, quod vnus
quisque offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat
oratione & voluntate. Quia quod sine permissione
patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur & va-
næ gloriæ non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis
omnia agenda sunt.

A Deo clarum est prescriptum capitulum Regu-
la, quod præmanibus habemus, ut nõ sit opus
aliqua alia declaratione: immo tanta dignū obser-
uatione, & animaduersione, ut amplius dici non
possit. Quamobrem visum est Patribus solūmodo
hortari fratres ad eiusdē obseruantiam. Sint itaq;
nobis cordi præcepta, monitiones, hortamenta, &
que-

quecūq; alia proponit nobis in hoc capitulo Beatissimus Pater. Ultra uero ea que quisq; spōte sua fecerit, debeat Prælatus quilibet in suo Monasterio prima feria secunda quadragesima (iuxta ueterū laudabilē consuetudinē) iniungere singulis fratribus in cap. psalterium; precipiens, ut quolibet die saltē viginti quinque psalmos legat in remissionē omnium negligentiarū totius illius anni elapsi. Quadragesimā, quantū ad abstinentiā ciborū, inchoandam esse declarāt imediate post Dominicā quinquagesimæ. Auentus uero incipit in Dominica, que proximior est festiuitati beati Andreæ Apostoli, q̄ sane tēpus aduentus ieiunijs transigendū esse uolūt, nō secus ac illud quadragesimæ. Vbi dicitur quod omni tēpore uita Monachi, quadragesimæ debeat obseruationē habere. Patres monuisse uolūt suos Monachos, quēadmodū innuit etiā superius diuus Pater, illud esse uerissimum, quod notat Iohannes Grisost. in Homilia, & habetur, decretorū tertia parte de consecr. distin. quinta. uidelicet. Nihil sic esse iocundum, sicut cibus bene digestus, aut decoctus, nihil sic salutem, nihil sic sensuum acumen operari, nihil sic ægritudinem fugare, sicut moderata refectio. Sufficientia quippe cum nutrimento, & sospitatem simul procreat, & voluptatem. Abundantia uero morbum facit, & molestias ingerit, & ægritudines generat. Legimus quosdam (inquit Hieronimus eadem distin.) morbo articulationi, & podagræ humoribus laborantes, proseriptione bonorum, ad simplicem mensuram, & pauperes cibos redactos, conualuisse.

DE FRATRIBVS, QVI LONGE
ab oratorio laborant aut in via sunt.

Cap. L.

FRatres qui omnino longe sunt in labore, & nō pos-
sunt occurrere hora competenti ad oratorium, &
Abbas hoc perpendit quia ita est, agant ibidem opus
Dei, vbi operantur, cum tremore diuino flectentes ge-
nua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos præ-
tereant horæ constitutæ, sed vt possunt agant sibi, &
seruitutis pensum non negligant reddere.

NE forte aliqui in animum inducerent suum,
Diuina officia, cum hætenus narratis cere-
monijs in choro dumtaxat esse persoluenda, & nō
extra: Præcipiunt Patres, huius capituli occasio-
ne, vt Monachi nostræ congregationis; vbiq; loco-
rum se inuenerint, aut fuerint, teneantur canoni-
cas horas deuote persoluere, cum debitis pausis, et
inclinationibus: cum undiq; Diuinæ aures exau-
diant, & summa Maiestas nullum non repleat lo-
cum; quinimo ubique sit per essentiam, præsentia,
ac potestatem. Quoniam uero sacre imagines
plurimum conferunt ad erigendum animum, ac
mentem in ipsum Deum, ac Diuos; præscripti Pa-
tres uolunt, ut in omnibus ac singulis nostrorum
Monasteriorum, membris curent Prælati erigere
oratoria; ubi non solum celebrari Diuina officia
possint, verum etia res sacras fieri, cum non deceat
Monachum, uel diem vnā absq; auditione Mis-
sæ transire. Adde uero, quod huiusmodi oratoria
non mediocri erunt solatio spiritali ijs, qui uel ad
huius-

huiusmodi hospitium, animi gratia, aliquando declinant, vel ob Monasterij negocia interdum ibi moram, per aliquot dies, trahere cogentur.

DE FRATRIBVS QVI NON
facis longe proficiscuntur. Cap. LI.

Fratres, qui pro quouis responso proficiscuntur, & ea die sperant reuertere ad Monasterium, non presumant foris manducare, etiam si a quouis regentur, nisi forte eis ab Abbate suo præcipiatur. Quod si aliter fecerint, excommunicentur.

Quoniam vero multoties accidere solet, ut Monachi extra Monasterium ad aliquem locum, non nostri ordinis vadant, non tamen ita remotum, quin eodem die ad domos proprias reuertere possint, si velint: Idcirco virtute huius regule capituli, mandant Patres, ut nullus, qui hac intentione reuertendi domum eodem die, ad aliquem locum perexerit, audeat ullo pacto extra Monasterium comedere, presertim in domibus secularium: sed antequam pedem extra limitem ponat accipiat, si non sit dies ieiunij præcepti, ientaculum: deinde vesperi domum canaturus, reuertatur. Si vero sit dies ieiunij, vel differat negocium ad alium diem, vel ieiunus vadat, & ieiunus domum reuertatur. Et hoc regulariter intelligi, & seruari volunt. Si quidem in casu aliquo necessitatis, non solum apud religiosos, & affines, verum etiam in ipsi diuersarijs comedere citra noxam licebit. A carnium nihilominus esu, nisi maxima urgente necessitate

effitate, semper abſtinebimus tam intus, quam extra, uti iam dictum eſt, & qui ſecus fecerint grauius puniantur.

DE ORATORIO MONASTERII. Cap. LII.

ORatorium hoc ſit, quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur, aut condatur. Expleto opere Dei omnes cum ſummo ſilentio exeant, & agatur reuerentia Deo, ut frater qui forte ſibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed ſi alter vult ſibi forte ſecretus orare, ſimpliciter intret, & oret non in clamorosa voce, ſed in lachrymis & intentione cordis. Ergo qui ſimile opus non facit, non permittatur expleto opere, Dei, remorari in oratorio, ſicut dictum eſt, ne alius impedimentum patiatur.

Domini noſtri ſententiam, qua dicitur, Domus mea, Domus orationis vocabitur *pre oculis habens ſanctiſſimus Benedictus, præcipit in hoc capitulo. In oratorijs noſtris nihil pœnitus aliud fieri, niſi ad quod inſtituta eſſe noſcuntur. Quare ſub grauib; pœnis mandant & ipſi Patres, ne Prælati vlllo pacto permittant in eccleſiis noſtris quippiam fieri, quod ſit à diuino cultu alienum: caueantq; ne in eis vllæ res prophanae ſeruanda deponantur: uel colloctiones rerum impertinentium habeantur: ſed celebratis canonicis horis, noſtræ eccleſiæ ſecularibus claudantur: ab hora nimirum ſexta, uſque ad ueſperas: & decantatis ueſperis uſque ad completorium, niſi forte in feſtis*

*His præcipuis, in quibus per totum diem sit popu-
 lorum concursus . Porta uero claustrî interioris,
 quæ ducit in ipsam ecclesiam , semper Monachis
 pateat , a dictis matutinis usque ad solis occasum
 ut si qui forte priuatim orare uoluerint, possint .
 Caueant tamen à strepitu labiorum, & huiusmo-
 di, ne alijs sint impedimento . Cæterum non in
 Ecclesijs tantum nostris , quæ dicta sunt , obserua-
 ri uolunt : sed in ijs omnibus claustrî partibus, ut
 dictum est , quæ eiusdem Ecclesiæ parietibus he-
 rent , perpetuum mandant seruari silentium .
 Itaque nulli omnino licebit tam in Ecclesia, quam
 dictis claustris quippiam loqui , nisi forte aliquan-
 do silenter, & oratione imperfecta . Specialiter ue-
 ro de Ecclesijs nostris seu oratorijs, extra vrbes
 fitis , mandant Patres , ne permittant sub gra-
 uibus pœnis Prælati, in eis reponi fruges , aut
 paleæ, uel ligna , & huiusmodi ; quemadmodum
 plerumque fieri solet ab agricolis ; sed ea uene-
 ratione colantur , quæ decet loca Deo sacra . Et
 si quæ Ecclesiæ ruinam minentur , quanto-
 cius resarciantur , & quæ collapsa
 sunt, restituantur , & restituta,
 munda teneantur . Quando-
 quidem Domos Dei san-
 ctitudo decet , ac
 munditia .*

DE HOSPITIBVS SVSCIPIENDIS.

Cap. LIII.

OMnes superuenientes hospites, tanquam Christus suscipiantur, quia ipse diciturus est. Hospes sui & suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime tamen domesticis fidei & peregrinis. Ut ergo nunciatus fuerit hospes, occurratur ei a Priore, vel a fratribus cum omni officio charitatis, & primitus orent pariter, & sic sibi socientur in pace, quod paucis osculum non prius offeratur nisi oratione præmissa propter illusiones diabolicas. In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus siue discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur qui & suscipitur. Suscepti autem hospites ducantur ad orationem, & postea sedeant cum eis Prior, aut cui iusserit ipse. Legatur coram hospite lex diuina, ut ædificetur, & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiunium a Priore frangatur propter hospitem, nisi forte præcipuus sit dies ieiunij quod non possit violari. Fratres autem consuetudines ieiuniorum prosequantur. Aquam manibus Abbas hospitibus det, pedes hospitibus omnibus, tam Abbas quam cuncta congregatio lauet, quibus lotis, hunc versum dicant. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio tēpli tui. Pauperum autem, & peregrinorum maxime susceptio omni cura solícite exhibeatur, quia in ipsis Christus magis suscipitur. Nam diuinitum terror ipse sibi exigit honorem.

Coquina Abbatis, & hospitem per se sit, ut incertis horis superuenientes hospites, qui nunquam desunt monasterio, non inquietent fratres. In quam coquinam ingrediantur duo fratres ad annum, qui ipsū officium bene impleant. Quibus ut indigent, solatia administrentur, ut absq; murmuratione seruiant. Et iterum quādo occupationem minorem habent, excēnt,

vbi eis imperatur in opera. Et nō solū in ipsis, sed & in omnibus officijs Monasterij ista sit cōsideratio, vt quādo indigēt, solatia accomodētur eis, & iterū quādo valet, obediāt imperātī. Itē & cellam hospitū habeat assignatā frater, cuius animam timor Dei possideat, vbi sint lecti strati sufficiēter, & domus Dei a sapiētibus sapienter administretur. Hospitibus autē cui nō prācipitur: nullatenus societur neq; colloquatur. Sed si obuiauerit aut viderit; salutatis humiliter, vt dictum est, & petita benedictione pertranseat; dicens sibi non licere colloqui cum hospite.

Quoniam inter opera Misericordiae Hospitalitas plurimū sacris paginis cōmēdatur, dū narrant sanctissimos Patriarchas plerūq; Angelos hospitio recepisse; ea propter districte Patres prācipiunt, ut capitulū hoc regule inuiolabiliter ab omnibus nostrae congregationis Monasterijs, et Monachis obseruetur: quodq; hospites oēs debita charitate, et honore excipiantur, cū in singulis indubitāter ipse Christus recipiatur. Statim itaq; ut Monachus hospes aduenerit (ut prius de Monachis loquamur) ducatur ab hostiario domus in ecclesiā; Interimq; uocetur campanula signo, aut ab altero hostiario, Abbas, uel alius uice sui. Qui ueniens, & ipse in ecclesiam, ordine breui facta oratione, hospitem detecto capite fraterne amplectetur: ac subinde in eam cameram hospitalitatis ducat, qua eius gradui, ac uirtuti conueniet. Postremo de omnibus sibi necessarijs, pro Monasterij facultate, provideatur. Quod si Abbas hospitali, antequam ad ecclesiam uenerit, obuiauerit: primum ad pacis amplexum eum recipiet, deinde ad ecclesiam ducet, postremo ad cubiculum.

Sciendum uero hic est, quod inter hospites sic excipiendos, non computamus Monachos domus, qui uel ad aliquod membrum eiusdem domus morantur, uel ob aliquod negotium, per aliquot dies, extra Monasterium manserunt (hi enim reuertentes tantummodo accedere debent ad prælatum probe uedictione, moxq; ad cellas proprias se recipere uisitata nihilominus prius ecclesia) sed loquimur de ijs Monachis, qui raro, & ex alieno Monasterio, ac de longe adueniunt, nec sunt de familia, & alteri Abbati subiiciuntur. Neq; uero Abbati indignum uideatur huiusmodi hospites, eis occurrendo, benigne excipere, siue presules etiam ipsi extiterint, siue privati, quoniam non eos tantum puros homines excipit, sed Christum omnium dominum, qui nos pauperculos è cælis in terram descendens, inuisere dignatus est, & tanquam seruus, & qui ministrat, inter nos existere. Cerimoniam item illam abluendi hospitibus pedes (licet non ita solemnem) nullo pacto omittant, qui hospitibus recipiendis præsumt; maxime si pedestres uenerunt. Cæterum dum in regula dicitur quod hospites Abbatis aduentum ad portam Monasterij præstolari debent: intelligendum id esse, declarauerunt patres, de Hospitibus secularibus, aut religionis aliorum ordinum; minime uero de hospitibus nostræ congregationis. Tempore si quidem Diui Patris Benedicti unum quodq; Monasterium congregationem constituebat, neq; inde Monachis exire licebat, nisi ob extremam aliquam necessitatem, aut agri colendi gratia. Quare de laicis ho-
spiti-

spitibus, aut presbiteribus secularibus ferme semper est sermo. Quandoquidem Monasteria omnia, ea tempestate uiatorum omnium receptaculum erant; uti etiam nostris temporibus est Hospitium Heremi nostræ Camaldulensis. Recepto itaque hospite perbenigne à Prælato, ut dictum est, & facta hora Cœnæ, aquam ei ad abluendas manus Prælatus infundat, & Benedicta Mensa discumbat. Incepta interim lectione sacra, post breuem periodum, ipsi comedere incipiant, facto signo à Prælato: sed sequatur nihilominus lectio, quousque; denuo Prælatus signis faciat quiescendi, post aduentum uero hospitis, & ante cœnam, qui uoluerint, possint huiusmodi hospitem uisitare in propria camera. Postquam primam salutationem, non liceat inuenibus, non sacerdotibus, ullo pacto, se cum huiusmodi hospitibus sociare, sine expressa licentia Prælati, sub pœna ieiunandi in terra pane, & aqua. Prælatus tamen socium tali hospiti tribuat, qui eum comitetur, illi adsistant, eumque; de cunctis necessarijs provideat. Nullus hospes (excepto Patre Generali, qui maior est omnibus) ex itinere ueniens, audeat Domum hospitalitatis intrare, aut uestes sibi itinerarias detrahare, nisi primum, uisitata ecclesia, Benedictionem à Prælato domus acceperit. Imo uero laudabile esset, ut etiam ipse Pater Reuerendissimus (quemadmodum non nullæ aliæ religiones bene institutę obseruant) de itinere ueniens, non ante domum sibi præparatam, ingrederetur, nisi post solemnem benedictionem acceptam in ecclesia cum orationibus proprijs.

Praelati, vti mandatur in Regula semper, & ubiq; hospites comitentur, & cum illis comedant, frangendo si opus fuerit, ieiuniū; nisi forte esset ab ecclesia preceptū. Verum ad maiorē discipline regularis obseruantia, ordinarunt prescripti Patres ut aduenientes Monachi, quacumq; dignitate praefulgeant, etiam R. P. Generalis, trasactis duobus diebus, comunem nitā, & refectorium sequi teneantur: & chorum, non secus, ac si de eodem essent Monasterio; nisi forte infirmi, aut debiles essent, uel maioribus (quod ad chorū) detenti negocijs. Hospites item extra Monasterium egredi non presumant, nisi facta sibi prius facultate à praelato loci illius, qui etiam socium eis assignare, & Benedictionem tribuere debet. Hæc vero intelligēda sūt de hospitibus religiosis, siue nostræ fuerint, siue alterius congregationis: Circa quos volunt Praelatos etiam benignius agere, vti regula mandat. Seruetur quoq; cōsuetudo illa laudabilis, ac in nostro ordine peruersata: nempe quod sacerdotes aduenas, sacerdotibus nostrorum Monasteriorum, in nostris domibus praeserātur: Diacones similiter extranei, nostros Diacones antecedāt; & sic de alijs gradibus. Id enim congruum esse videtur, vt honore aduenas intra nostros limites praueuiamus.

Quantum vero ad Hospites seculares, similiter charitate recipiantur, maxime uero pauperes, quoniam in illis magis Christus pauper suscipitur. At non introducantur in Monasterium, nisi forte intra primam vestibuli partem, si non prius aduentus eorum Praelato significetur. Qui

Pra-

Pralatus cum illis comedere teneatur, si alicuius considerationis personæ fuerint; sin autem mitat cum eis aliquem ex senioribus, moribus, & doctrina præcellentem. Nullus vero, Cuiusvis rei pretextu, ultra tres dies in nostris Monasterijs detineatur, nisi forte ob negocium aliquod Monasterij, aut ob urgentem aliquam necessitatem: & dum ibi morantur remotius à Monachorum habitatione hospitentur, ne forte illi a nobis, uel nos ab illis incomodum aliquod patiamur. Ad longum uero tempus nemo in domibus nostris, nec ob mercedem aliquam, uel spem recipiatur, cuiuscumq; cõditionis, uel gradus inmo nec etiã cõmissi, nisi habeant habitum; & de expressa licentia Patris Generalis, aut uisitatorum, in scriptis habita. Quod si quis Pralatus fecerit contra, grauius puniatur. Id enim sit, ne Monachorum pax perturbetur. Et re uera, nil magis dissonum uidetur Monachis, quam cum laicis diuturnam trahere moram, etiam si sint familiares.

Strictissime etiam uetant, ne quis audeat Mulieres cuiuscumque Gradus, ætatis, conditionis, aut dignitatis, intra septa Monasteriorum nostrorum, seu clausuram introducere ullo pacto, sub pœna excommunicationis, prout in Bulla Sanctissimi Domini Nostri Pij Quinti latius tractatur.

Ad curam uero hospitem tales à Pralato præficiantur qui sint idonei exemplo, morum grauitate, sermonisq; modestia, eds pascere: eorumq; munus sit cum omni sollicitudine, & charitate, aquã

pro lauandis pedibus, corporalem refectiōem, ignem, cellam, mensamq; hospitibus preparare, iisdem in omnibus sollicitè, & diligenter ministrare, & omnia quæ circa hoc eis iusserit Prælatus, implere. Meminerint etiam ipsi hospitarij æque pauperes bene tractare: scientes, quod maiorem à domino recipient mercedem, qui pauperes præcipue comédare curauit, quandiu (inquiens) vni de bis minimis fecistis, mihi fecistis. Quid enim turpius, obsecro, apud Christi seruos, quam id quod Beatus Iacobus in sua canonica in non nullis deprehendit, qui intrantem in conuentum eorum diuitem, honorifice excipiebant, pauperem uero non ita. Qui demum hospitibus inservient, cauebunt ne omnino quid ab eis, etiam sponte oblatum, accipiant, maxime uero pecuniam; & qui cōtrafecerint, quindecim diebus in cella, clausi maneat, & tribus diebus in pane, & aqua ieiuent. Quoniam autem in sermonem de ablutione pedū incidimus, non ab re fore arbitrantur patres, hoc loco apponere, quod in sacra nostre Heremi constitutionibus capite xxvi. habetur. Si pedes inquirunt, abluere voluerint Heremite (cur non idem et Monachi?) illud diligenter attendant, ut hoc quoque omni religiosa honestate faciant, nunquam altius, quam opus sit se discooperiant, neq; se mollius turgent. Ne vero in huiusmodi carnis attritione aliqua excitetur libidinis titillatio; semper cum pedes lauare inceperint, penitentiales quos dicimus psalmos simul dicere incipiant: qui uero eos memoriter non tenuerint: aut alios psal-

*psalmos dicant : aut orationem Dominicam tan-
diu repetant quousq; ablutionem perfecerint .*

**SI DEBEAT MONACHVS LI-
teras, vel eulogia suscipere. Cap. LIII.**

Nullatenus liceat Monacho nec a parentibus suis,
Nec a quoquam hominum, nec sibi inuicem lite-
ras aut eulogia vel quolibet munuscula accipere aut
dare: sine præcepto Abbatis sui. Quod si etiam a pa-
rentibus suis ei quicquam directum fuerit, non præsu-
mat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abba-
ti. Quod si insulerit suspici, in Abbatis sit potestate cui
illud inbeat dari: & non contristetur frater cui forte
directum fuerat, ut nõ detur occasio diabolo. Qui au-
tem aliter præsumpserit disciplinæ regulari subiaceat.

Tametsi qua modo dicentur, alibi incidenter
dicta sint, non erit ab re, eadem in presentiarum
tanquam in loco proprio, breuiter ac persuncto-
rie repetere. Nulli ergo, ut hic regula monet, li-
ceat literas, uel munuscula mittere alicui, uel re-
cipere ab aliquo, sine expressa licentia. Immo nec
nuncios mittere liceat; nec rem quampiam, quam
uis minimã, uel sibi concessam, alicui donare absq;
dicta licentia. Non valeant etiam inter se Mo-
nachi, præsertim iuuenes, libros, uel res alias, etiã
minimas, comutare sine prædicta Prælatorum suo-
rum licentia, ut supra diximus. Ut autem capitulum
hoc plenius obseruetur, præcipiunt hostiario,
ut literas omnes, quæ ad manus suas deuenerint,
eas, non Monacho cui directæ sunt, sed prælato
prius presentet, sub pœna toties, quoties id facere

ommisserit, abstinendi per triduum à uino. Similiter fratres qui ex itinere ueniunt, literas omnes Præfato præsentare teneantur.

Summiopere uero cauendū omnibus esse denunciant, ne Mulieribus cuiusuis conditionis, uel Gradus (matre, & sororibus exceptis) literas uel munuscula quæcūq; mittere præsumant: uel ad eos ab eis transmissa, recipere. Hæc etenim mulierū litere uel munuscula, per sacros Canones religiosis prohibita sunt; & quam uerissime incentiua libidinis esse cõperiuntur. Id uero cū de cæteris omnibus mulieribus obseruandū diligenter sit, de sanctimonialibus diligentissime est custodiendum, siue nostri Camaldulensis, siue alterius ordinis sint: ut nulla omnino Monachis cum eis intercedat, neq; per literas, neq; per nuntia, familiaritas. Etenim (inquit ille) cautissime sunt omnia concupiscentiæ irritamenta declinanda, ne paruo aliquo fomite, magnus libidinis æstus intra præcordiorū aridas cogitationes insurgat. Et qui contrafecerit ad arbitrium Patris Generalis, grauius puniatur.

DE VESTIMENTIS VEL CALCIAMENTIS fratrum. Cap. LV.

Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem ubi habitant, uel aerum temperiem dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigeturi in calidis uero minus. Hæc ergo consideratio penes abbatem sit. Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus monachis per singulos cucullam & tunicam, cucullam in hyeme uillosam in æstate puram aut uetustam, & scapulare propter opera: Indumenta pedū, pedules, & caligas.

ligas. De quarū rerum omnū colore aut grossitudine non consentur monachi : sed quales inueniri possunt in prouincia in qua habitāt, aut quod uilius comparari potest . Abbas autem de mensura , prouideat , ut non sint curta ipsa uestimenta utentibus eis , sed mensurata . Accipientes noua uetera semper reddant in praesenti , deponenda in uestiario propter pauperes . Sufficit enim monacho duas tunicas , & duas cucullas habere propter noctes , & propter lauare ipsas res . Iam quod super fuerit , superfluum est & amputari debet . Et pedules & quodcunque est uetustum , reddant cū accipiunt nouum . Femoralia hi qui in uia dirriguntur de uestiario accipiant : qui reuertentes , lota ibi restituant . Et cuculle , & tunicæ sint aliquanto his , quas habere soliti sunt , meliores , quas exeuntes in uiam accipiant de uestiario : & reuertentes restituant .

Stramenta autem lectorum sufficiant matta , sagū , lena , & capitale . Qui tamen lecti frequenter ab Abbate scrutandi sunt propter opus peculiare , ne inueniatur , & si cui inuentum fuerit quod ab Abbate non acceperit , grauissimæ disciplinæ subiacet . Et ut hoc uitium peculiare radicitus amputetur , dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria , id est cuculla , tunica , pedules , caligæ , brace , cultellus , graphium , acus , mappula , tabulæ , ut omnis auferatur necessitatis exentatio . A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia actuum apostolorum , quod dabatur singulis pro ut cuique opus erat . Ita ergo & abbas consideret infirmitates indigentium , non malam uoluntatem inuidientium . In omnibus tamen iudicijs suis dei retributionem cogitet .

INter alia , quæ hodie non parum indigent declaratione , & quæ maxime opus habent reformatione , iuxta regulam , vestes principem obtinent locum ; cum res iam collapsa sit , ac multum ab antiquo nostrorum patrum insituto diuersa .
Itaq;

Itaq; sanxerunt patres, atq; inuiolabiliter obseruari volunt quecumq; modo circa vestimentorum qualitates subiiciemus.

Primum igitur omnium, quod ad colorem, vestes nostrę omnes, tã intus, quam extra, albę erunt. Et si nanq; Beatissimus Pater Benedictus hoc loco asserat, non esse curandum, cuius sint vestimenta nostra coloris: & ipsum pro constanti habeatur, nigro usum fuisse colore. Nos tamen antiquam Quingentorum, & quinquaginta annorum (ob reuelationem Diuo Patri Romualdo factã) sequentes consuetudinem; nõ nisi candido utemur colore. Nulli itaq; deinceps liceat, aliquo alio uti colore, etiam occulte, sub pœna prinationis uocis æliuæ, & passiuæ, per biennium. Ut autem quorundam Monachorum, qui nimis molles, atq; delicati videntur abusui occurratur, & iam tandem terminus aliquis eorum sensualitati ponatur: declarant Patres, Cucullas, quam principalem inter vestimenta nostra, ac nobiliorem locum tenent. si ri debere ex rudioribus, ac nilioribus pannis, quæ in provincijs, & locis, in quibus habitamus, inueniuntur: dummodo eius meminerint proverby, quod qui magis expendunt, minus expendunt: & quod non amplius moramur in solitudine, sed in urbibus. Quod ad sargias duplas fiandrenses, quę vulgo scota uocantur (fortasse enim ex insula scotia efferebantur) & si uideantur aliquanto delicatiores, quã Monachos deceat: tamen quia sunt durabiliores, & eis complures aliæ Religiones, relligiosę institutæ, utuntur: permittunt patres, quod Prælati

lati suos Monachos ex eisdem uestire ualeant, & earum usum in nostra congregatione admittunt.

Circa formam cucullæ, quo ad longitudinem, ex parte anteriori, usq; ad collū pedis descendāt, ex parte uero posteriori terram ferme radant. Quo ad latitudinem, qui eas ex scoto conficiunt, auferant ab ambobus telis principalibus, tertium latitudinis; pro habitu vno seu scapulari conficiendo; ita ut cuculla ipsa paucissimas habeat rugas siue plicas. Primæ iuncturæ ad humerum pertingant, reliquæ uero non excedant medium manicæ. Ipse autem cucullarum manicæ sint longæ ultra manum extensam per dimidium brachij: latæ uero quantum est ipsa scoti latitudo plicata. Quod si post hanc publicationem quis repertus fuerit fecisse sibi cucullam alterius mensuræ, vel pluribus cum plicis, quam possint duo tertia latitudinis scoti facere, cuiusq; generis panni sint; priuatur, ultra ammissionē prædictæ cucullæ, uoce tã æt̃na, quam passiuæ, per sex menses: Prælati uero qui id scienter permiserit, in proximo futuro capitulo ad electionem Dēfinitorum, utraq; sit uoce priuatus. Habitus siue scapularia non excedant in latitudine tertium latitudinis ipsius scoti, & caputia sint omnia equalia, tam cucullarum, quam habituum iuxta formam ab ipsis Patribus Dēfinitoribus præfixam, cuius exemplar quilibet Prælati in suo Monast. habere teneatur. Qui uero huic constitutioni contrafecerit, aut caputia ipsa seiuncta à cuculla, vel habitu portauerit grauius ad arbitrium prælati puniatur. Tunica etiam ex parte
ante-

anteriori, vsq; ad Collum pedis pertingat, à Parte vero posteriori, paucis admodum rugis terram radant. Prima iunctura ad humerum pertingat, secunda ad manicam, nec supra. Ipsa uero Tunice manica, quo ad longitudinem, ad extremitatem digitorum attingat, quo uero ad latitudinē, tanta sit capacitatis, ut ambos pugillos recipere valeat, nec amplius. Et qui huic constitutioni contrafecerint tunicas ipsas amittant. Non habeant præterea Monachi nostrę congregationis, etiam Prælati, amplius, quam duas cucullas, ac binas Tunicas: & si quis plures habuerit auferantur ab eo per Prælatos, ac Comunitati applicentur. Cætera omnia uestimenta, in omnibus simplicitatem redoleant, & fiant secundum antiquas consuetudines, sine globulis, & ocellis, seu vncinulis, & orbiculis; & nihil seculare omnino sapientes. Caligæ similiter, ac perizomata, seu femoralia, nec minimum quid sapiant sensualitatis, aut conformitatis cum seculo: nec ex alio, quam ex lana, & lino, vlllo pacto, sub grauiori pœna. fiât: quamquam perizomata satius foret, non nisi cum æquitatur illa ferre. Et quoniam sunt aliqui, quos non pudet pallium cum collari ferre, more secularium, cum globulis sericeis, & huiusmodi vanitatibus, præcipiunt hæc omnia ab usibus nostris amoueri. Et si qui deinceps inuenti fuerint huiusmodi pallijs vti, ultra amissionem eorum, grauius à Prælato puniantur. Mandant præterea Patres, vt non solum quæ dicta sunt, mira fulgeant simplicitate, sed & reliqua omnia, quę in vsum nostrum

Arum veniunt, & domi, & foris, dum equitamus
 ut sunt pilei, cothurni, pallium itinerarium, calca-
 ria, pera coriacea, ornamenta equorum, & huius-
 modi: ne simus derisui cernentibus, & nostram
 huiusmodi vanitatibus, dedecoremus religionem.
 Galeri nostri tam palea, quam lanci ualorem
 quatuor iuliorum singuli nō excedant, nec addan-
 tur eis ullo pacto ornamenta sericea. Vitetur etiā
 omnis superfluitas, & preciositas in supellecti-
 li: nec liceat alicui Monacho cellam ornare, quo-
 cumq; panno, nisi forte lineo, viridis coloris, aut
 cœlestis, non tamen picto ullatenus. Prelatis ta-
 men quippiam permitti poterit in Cameris, non
 tamen sericum ullo pacto, nec etiam in domibus
 hospitum, sed tantūmodo id liceat in Ecclesia, &
 circa cultum diuinum,

Si quis vero, ob etatem senilem, aut complexio-
 nem frigidam, ueste pellicea indigeat, non ei de-
 negetur: uerumtamen è pellibus siluestrum ani-
 malium, & nobilioribus non fiant, nec permit-
 tantur. Et cui tales uestes pelliceæ tribuuntur,
 non dentur pro illo anno alia uestimenta. Acci-
 pientes autem noua uestimenta, uidelicet cucul-
 lam, uel tunicam: intra octo dies, lota, & mun-
 da, omnino restituant uetera, secundū regulam.
 Contrafaciētes priuentur rebus nouis quousq; re-
 stituant uetera. Ordinarunt deniq; ad omnium di-
 eorum maiorem obseruantiam, ut Prelatus una
 cum Decanis Monasterij, tribus saltem uicibus in
 anno uisitet deligenter omnes cellas Monasterij, et
 si quem inuenerint quippiam habere cōtra harum

constitutionū dispositionē, auferatur ab eo, et gra-
 uius puniatur. Præcipue uero puniri acrius uolūt,
 qui subuculas, seu camisas lineas habere, uel fer-
 re deprehensus fuerit: nam laneas tantummodo
 gestare debemus, quæ usq; ad medium crurū per-
 tingant. Tunica cingi non possint, sub graui pena,
 nisi corigeis coriaceis, & habitus non cingatur ni-
 si cingulo laneo, ex pannorum extremitatibus de-
 sumpto. Fratribus, qui intra annum mutantur,
 prouideat utrunque Monasterium à quo, & ad
 quod, pro rata uestimentorum, & temporis.
 Qui fratres non possint habere, neque tenere ad
 usum suum, ultra quatuor tonicellas, & tria sca-
 pularia, præter illud, quod nocte deferimus. Con-
 uersis omnibus nostræ congregationis loco cucul-
 larum fiant à Prælati, iuxta ueterum consuetudi-
 nem, planetæ, quæ sint supra terram, per quartam
 partem unius brachij, & omnino sine rugis. Quæ
 quidem planetæ, quoad latitudinem non excedant
 ullo pacto manus: nec fiant ex dicto scoto, uel alia
 sargia flandrensi: sed ex pannis tantummodo gros-
 sioribus. Omnia autem supradieta uestimenta, ut
 omnis proprietatis auferatur occasio, te-
 neantur Prælati dare suis Monachis
 re uera, & in factō, non autem
 in pecunijs, sub pana priua-
 tionis actiue uocis
 & passiuæ per
 quinquen-
 nium.

DE MENSA ABBATIS.

Cap. LVI.

Mensa Abbatis eſt hoſpitibus & peregrinis ſit ſemper. Quotiens tamen minus ſunt hoſpites: quos uult de fratribus uocare, in ipſius ſit poteſtate. Seniorum unum tamen aut duos ſemper cum fratribus dimittendos procuret, propter diſciplinam.

Experientia rerum magiſtra dilucide ſatis oſtendit, quod ibi melius ſacra Religionis ceremonie ac reliqua omnia ad monaſticam uitam ſpectantia, ſeruantur, ac diligentius cuſtodiuntur, ubi Prælati præſentia adefſt. Quapropter ordinarunt Patres, quod non huius obſtante capituli doctrina, Prælati noſtrę congregationis ſtudeant ſemper, & ubiq; cum ſuis eſſe Monachis, ne dum in choro ſed & in menſa comuni, niſi forte ad debitum officij interdum cum hoſpitibus, eos comedere oporteat. Siquidem, & pater carnalis in vna, & eadem cum ſuis filijs menſa comedens non ſolum maiorem erga illos miniſtrat dilectionis affectum, eiſdem cibis cum eis vtens, ſiue bonis, ſiue malis: uerum etiam facit, ut modèſtius ſe habeant. Nec obſtat ſi tempore Diui Patris Benediſti ſeorſum ab alijs Abbates comedebant, quoniam id forſan fieri poterat ob hoſpitum multitudinem, undiq; aduentantium, aut ob aliquam aliam cauſam, quę modo non militat. Sed tamen eis ueritum non erat, ſi uoluiffent comunem etiam menſam ſequi. Cum hoc itaq; Diui Patris Benediſti eſſet permiſſos

ſio, non præceptio; nullum erit propterea modo absurdum, ſi Patres iuſtis de cauſis hanc tollunt permiſſionem, & uolunt. Abbatem, quo ad fieri poteſt, menſam comunem frequentare. Sic etiam & Chriſtus ſuis cum diſcipulis, fere ſemper cibum ſumebat.

DE ARTIFICIBVS MONASTERII.

Cap. LVII.

Artifices ſi ſunt in monaſterio cum omni humilitate, & reuerentia faciant ipſas artes: ſi tamen iuſſerit Abbas. Quod ſi aliquis ex eis extollitur pro ſcientia artis ſue, eo quod uideatur aliquid conferre monaſterio: hic talis cucillatur ab ipſa arte: & denuo per eam non tranſeat: niſi forte humiliato ei iterum Abbas iubeat. Si quid uero ex operibus artificum uendendum eſt, uideant ipſi per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem præſumant inferre. Memorentur Anania, & Saphyra, ne forte mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc iſti uel omnes, qui aliquam fraudem de rebus Monaſterij fecerint, in anima patiantur. In ipſis autem precijs non ſurrepat auaritiæ malum; ſed ſemper aliquantulum uilius detur quam ab alijs ſæcularibus datur; ut in omnibus glorificetur deus.

ET ſi capitulum hoc nulla uidetur egere declaratione, cum pauci admodum Artifices in preſentiarum in noſtris Monaſterijs reperiantur: nihilominus pro illis paucis, qui adſunt, ſtatuere Patres, quod in omnibus, præſcriptum capitulum obſeruetur, ut omnis ſuperbiæ occaſio tollatur. Curent præterea huiusmodi Artifices, ut in uenditione

tionem

tione suorum operum nullam fraudem comittant,
 aut dolum, & res suas viliori precio tribuant,
 quam facerent seculares. Hortantur uero Præ-
 latos, ne se faciles præbeant in dispensatione Cho-
 ri, aut aliorum exercitiorum ad Diuinum cultum
 spectantium, cum huiusmodi artificibus, qui clerici
 essent, nisi forte aliquando iustis de causis. Vetant
 præterea, ne aliquis artifex nostræ congregatio-
 nis mittatur ad aliquod operandum in domibus se-
 cularium, extra Monasterium, nisi forte interdum
 vocaretur, et ad horam, ut (exempligratia) instru-
 mentum aliquod in armoniam reduceret, & ex
 dissonanti, consonum redderet, uel quid simile agere-
 ret. Nihil idem uendere, aut ullo modo distrabe-
 re valeant, sine expressa Prælati licentia. Et cum
 rem aliquam de tali licentia vendiderint, statim
 afferant precium ad pedes Prælati, iuxta regulæ
 præceptum. Et si indigeant emere aliquid pro
 usu suarum artium, petant ab ipso Prælato, &
 dum accipiunt, humiliter inclinando dicant. Bene-
 dictus Deus in donis suis, & sanctus in omni-
 bus operibus suis, qui uiuit & regnat in secula
 seculorum Amen. Quod idem Monachi dicant
 semper pro Gratiarum actione, ubi quid à Præla-
 to ipso, uel alio Monacho acceperint. Nullus
 præterea audeat sub grauiori pœna impressioni
 quippiam tradere, nec suum, nec alienum, nisi de li-
 centia Patris Generalis, aut Vicarij Prouinciæ,
 & ultra hoc de licentia Reuerendorum inquisito-
 rum, aut ordinarij, iuxta Decreta sacri Concilij
 Tridentini.

Similiter nullus, nec pro se, nec pro alijs aliquid
 edat, seu componat, tam metro, quam soluta ora-
 tione, in quo quippiam, uel minimum lasciuientis,
 aut minus religiosi animi deprehendi possit, aut
 quæ maledicentiæ uel mordacitatis, aut scurrili-
 tatis aliquid contineat, sub grauioribus pœnis à
 Prælo inuigendis. Sed magis, qui huiusmodi
 Donū à Deo receperunt in rebus spiritualibus, ac
 deuotis id expendant, uel saltem in his studijs, quæ
 possint aliquam hominibus utilitatem asserre, ut
 sint historia, uitæ hominum illustrium, opera ad lin-
 guas spectantia, & huiusmodi, quemadmodū Hie-
 ronimum, Antoninum, & alios multos factitasse
 comperimus. Nullus item uenationi, aut aucupa-
 tioni uacet, cum hæc religiosis à sacris Canonibus
 inhibeantur. Nullus querat Principibus seculi se
 gratiū exhibere, scurrā, uel ioculatorem agens. Ni-
 hil enim à Religioso uiro magis alienū esse debere
 uidetur. Nullus artibus diuinatorijs, ullo pacto,
 incumbat, neq; ijs facultatibus, quæ à sacris Cano-
 nibus, & decretis interdiciuntur, ut sunt Chiro-
 mantia, Geomantia, & huiusmodi. Nullus item
 nostri ordinis Monachus, siue tanquam reus, si-
 ue Actor pro aliquo seculari dicat apud iudices
 uel Magistratus causam, ullo pacto, nec similiter
 cuiusuis hominis, etiam Principis possit esse ne-
 gociorum gestor. Et qui in horum aliquo con-
 trafecerit grauius puniatur. Similiter non li-
 ceat alicui professo nostræ congregationis, pu-
 blice legere, nec etiam lectiones audire in aliquo
 studio Generali; aut alibi, extra Monasteria no-
 stra

stra, sub grauissimis pœnis ad arbitrium Patris Generalis, & Visitatorum.

DE DISCIPLINA SVSCIPIEN-
dorum fratrum. Cap. LVIII.

Nouiter veniat si quis ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus. Sed sicut ait Apostolus probentur spiritus si ex deo sunt. Ergo si veniens perseuerauerit pulsans: & illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressus, post quatuor aut quinque dies, visus fuerit patienter portare: & persistere petitioni suæ: annuatur & ei ingressus: & sit in cella hospitum paucis diebus. Postea autem sit in cella Nouitiorum, ubi meditetur & manducet & dormiat. Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiose intendat, & sollicitus sit, si vere Deum querit, & si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei dura & aspera, per quæ itur ad Deum, & si promiserit de stabilitatis sue perseuerantia, post duorum mensium circulum legatur ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis, si potes obseruare, ingredi: si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam Nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circulum relegatur ei regula, vt sciat ad quid ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur ei eadem regula. Et si habita secum delibere promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens se sub lege regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de sub iugo regulæ, quam sub tam morosa delibere licuit recusare, aut suscipere.

Suscipiendus autem, in oratorio, coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum

& obedientia coram Deo & sanctis eius, ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat quem irridet. De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum quorum reliquæ ibi sunt, & Abbatis presentis. Quam petitionem manu sua scribat, aut certe si non sciat literas, alter ab eo rogatus scribat, & ille Nouitius signum faciat, & manu sua eam super altare ponat. Quam cum posuerit, incipiat ipse Nouitius mox hunc versum. Suscipe me domine secundum eloquium tuum, & viam, & non confundas me ab expectatione mea. Quem versum omnis congregatio tertio respondeat, adiungentes, gloria patri. Tunc ipse frater nouitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo, & iam ex illa hora in congregatione reputetur. Res si quas habet, aut erogat prius pauperibus, aut facta solemniter donatione, conferat Monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus, quippe qui ex illo die, nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in oratorio exuatur rebus proprijs quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterij. Illa autem vestimenta quibus exutus est, reponantur in vestiario conseruanda, ut si aliquando suadente diabolo consenserit, ut egrediatur de Monasterio (quod absit) Tunc exutus rebus Monasterij projiciatur. Illam tamen petitionem quam desuper altare Abbas tulit, non recipiat, sed in Monasterio reseruetur.

SI in consiciendis negocijs alicuius momenti, magna uti conuenit solertia, & attentione: In hoc vno de quo in presenti capitulo agitur, oportet uti maxima, & plusquam comuni. Raro siquidem euenit, ut bonæ plantationes, si recte fuerint custoditæ, degenerent, ac expectato careant fructu, quemadmodum è contra male, malos fructus, ut plurimum, etiam si aliqua disciplina excultæ fuerint, afferant, & producant. Sed dato etiam, &
hac

hæc regula aliquoties falleret, non propterea esse debent in hac parte Præsules somniculosi, ac minus diligentes, in recipiendo ad habitum iuuenes, vndecumq; venientes. Præcipiunt itaq; Patres, ut capitulum hoc Regulae, cum declarationibus, quas modo sub inferimus, inuiolabiliter obseruetur. Primum itaq; curabit Prelatus anteq; in Monasterium recipiatur aliquis iuuenis, qui petat habitum, & inter nostros connumerari; diligenter scire cuius sit filius, cuius famæ fuerint Parentes, cui vacauerit puer usq; ad illum diem, quã statem habeat, & utrum sit sanus mente, ac corpore. Et si super his bonam retulerint informationem, qui fuerint de hoc interrogati; recipiatur Puer in Monasterium, ut hospes tamen: & in domo hospitum sub cura alicuius senioris ad tres, uel quatuor dies teneatur. Quo sane dicrum interstitio, facile ex sermonibus eius, ac moribus, & actionibus coniecturari poterit, qualis futurus sit in habitu religioso, & an bono spiritu ducatur, nec ne. Quod si in dicto tempore, bonam de se expectationem excitauerit, tum Prelatus de Consilio seniorum, tradat eum Magistro Nouitiorum, & per mensem adhuc in tirocinio, & habitu laicali probetur, comedens in mensa comuni cum alijs, ac eorum frequens. Transactò deniq; mense, in quo preponatur ei regula, ut eam bene legat, ac diligenter consideret: si eiusdem fuerit animi, ac uoluntatis, & seniores eandem de ipso spem retinuerint: preponatur a Prelato in comuni capitulo: et si a maiori parte, ultra medietatem, receptus fue-

rit, sanctæ Religionis habitu induatur, dummodo decimū quintū saltem annum attingat. Et si clericus esse debet, ita in gramaticalibus sit instructus, ut bene de ipso, quo ad scientiam, sperari possit. Verum si in dicto tempore vnus mensis, leuem se, ac minus constantem præstiterit, uel parum religiose conuersatus fuerit, uel indicia dederit superbi, ac uitiosi animi, cū pace ad suos remittatur. Hi uero qui sancto induti fuerint habitu, sub cura diligentis Magistri à Præfato tradantur, qui non minus exemplo, quam uerbo, & doctrina aptus sit in uia Dei, & institutis religionis eum edificare.

Si in anno approbationis, Nouitius aliquis notabile aliquod delictum cōmiserit, uel ob incultos suos mores, & parum uirtuosam uitam, id cōmeruerit, Præfatus de consilio seniorum, uestimenta sua laicalia, quæ in comuni uestuario, usq; ad professionem asseruari debent, illi reddens, domum eum remittat. Qui uero bene se gesserit in tirocinio, post annum probationis, prius inter seniores, deinde in comuni capitulo coram fratribus à Præfato recipiendus ad professionem, proponatur. Et post ubi magister ea, quæ de ipso habuerit dicere, retulerit, egrediatur e capitulo, ut libere, si qui aliquid dicere de tali recipiendo uoluerint, possint. Similiter si cognatos aut affines in capitulo haberet talis recipiendus; foras egrediantur donec qui uoluerint aliquid dicere, valeant. Foras inquam & extra capitulum egrediatur, etiam si sis ipse Præfatus. Deinde uota fratrum, ac suffragia disquirantur, & si à maiori parte

parte vocaliū, ultra medietatem, fuerit receptus, pro professo habeatur. Deinde octo uel decē diebus elapsis, in Missa post tertiam à Præfato habitu nostræ congregationis uerum, nempe cucullā donetur, & professionem suam cum ijs ceremonijs faciat, quæ alibi notata sunt. Quam professionem declaramus, iuxta sacri Concilij Tridentini Decreta, fieri non debere ante sextum decimum annum completum: & si ante fiat; nullam esse, sed irritam & inane.

Qui uero professionem fecerit, adhuc (ita præcipiunt Patres) sub cura Magistri, tres alios annos manere debet, ita ut nulli liceat, ante quatuor annos à receptione habitus & tirocinio, quod Nouitiū dicimus, egredi: nisi forte ob causam aliquā urgentem, & de consensu Patrum Definitorū, uel cum, ob aetatem grandæuam, ante illud quadriennium sacerdos fieret. Nemo uero putet, nos sacris Regule institutionibus cōtraire, dū Nouitios per mensem dūtaxat in laicali habitu detinemus, & nō per annū; quemadmodū tēpore Diui Benedicti: quoniā uice unius actionis, quæ tū tēporis siebat, nimirū tradendi habitū, & insimul ad professionē recipiendi: Nos duas distinctas actiones facimus, tradendo primitus habitum, deinde, anno reuoluto, recipiendo ad professionem. Non enim condecet modo, cum Monasteria sint intra vrbes, uidere laicum insimul cum Monachis vitam per annum degere, cum illis psallere, comedere, pernoctare. Quamobrem sapienter Patres iam à pluribus annis constitutionem illam Regule.

vt diximus, immutauerunt. Professio autem in nostra congregatione fiat hoc pacto.

Ego frater talis, de tali loco, promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum, & obedientiam secundum regulam sancti Benedicti, & statuta Camaldulensis ordinis, in congregatione sacre Heremi, & sancti Michaelis de Murano, coram Deo, & sanctis eius, in presentia Reuerendi in Christo Patris D. Talis de tali loco. Abbatis huius Monasterij, & aliorum fratrum. Anno Domini &c.

Vt autem de officio Magistri Nouitiorum non nihil dicamus, eius partes sunt, in anno probationis ea omnia seruare, circa Nouitios, quae in Priori parte suprascripti capituli regule continentur, ne aliquando excusare se possint Tirones, & ignorantiam pretendere, quod videlicet non scierint, se tot & tanta seruatuos. Doceat igitur eos, non propria, sed suorum superiorum uoluntate facere debere; Caste, & pure uiuere; Nihil proprium, & quod non ad praelati nutum parati sint resignare, possidere: Cordis humilitatem, ac corporis amplecti. Pacem cum omnibus habere; Reuereri senes: Cum aequalibus mites esse: Omnes diligere: in Ecclesia sollicitos esse: & attentos: In gymnasio studiosos: In obedientia promptos: & ubique compositos, ac deuotos. Et ut haec omnia facilius ipsi obseruent discipuli; studeat ipse prius ea effectui mandare: ut sic cum domino dicere bono animo valeat. Discite a me quia mitis sum, & Humilis Corde. Studeat etiam Magister facere, ut sui Tirones a teneris assuescant esse

esse, non solum extra, sed etiam in cella, & lectu-
lis, & ubiq; uerecundi, modesti, & decenti mundi-
tia præditi. Quotiens indumenta mutare uolue-
runt, semper summa uigilantia attendant, ut quan-
tocius poterunt, hoc efficiant. Sine habitu, & sca-
pulari etiam in secreto, non sine maxima urgente
necessitate audeant immorari. Caueant etiam, ne
aut lauando, aut mensa seruiendo, aut paumenta
uerrendo, aut quid aliud simile agendo, ita se di-
scooperiant, ut uerenda possit uideri, etiam femo-
ralibus cooperta. Hoc autem facillime fiet, si cum
opus est huiusmodi seruitia peragere, se linteo pre-
cingent. Cæterum quocumq; & Nouitijs, & Mo-
nachi faciant, quodcumq; operentur, nunquam so-
los se esse existimēt, sed in præsentia multorū An-
gelorum, qui honesta, & decenti eorum composi-
tione maxime delectantur; & non minus Demo-
nes semper adesse credant, qui eorum inhonestam
aut indecentem habitudinem subsannantes, leten-
tur, & irrideant. Illud pro certo nouerint inue-
nes, quod nisi in cella assueti fecerint honestatem,
ac decentem compositionem, & grauitatem ser-
uare, illam nunquam in hominum præsentia pote-
runt custodire. Sed qualis vnusquisq; secum in cel-
la fuerit, talis etiam, uel inuitus se se in præsentia
hominum exhibebit. Cellā præterea ipsam, & om-
nia utensilia in ea ita composita, & ordinata, ac
mūda habere assuescant; ut neq; confusa, & inor-
dinata, aut sordibus polluta, magnā arguant ne-
gligentiam; neq; etiam nimium accurate nitida,
ac tersa, feminilem mollitiem ostendant. Ad hæc
inquam

inquam obseruanda, in primis suos assuefaciant discipulos, præceptores, quoniã, ut plurimũ, quem semel fuerint imbuti recentes, seruabunt odorem. Caucãt etiam Magistri, immo & Prælati, ne in eo quod alios corrigere, ac reprehendere uolunt, uel etiam in alio delicti genere, ipsi reprehensibiles uideantur, quoniã cuius uita despicitur, necesse est, ut etiam admonitio facile contemnatur. Idem provideant, ut in cella, Nouitiũ necessaria, atq; opportuna omnia habeant; & quotidie quibus indigeãt ministrantur. Similiter de diuino officio, de Regularibus institutionibus; de solitudine seruanda, et personarũ frequentia fugienda; de paupertate, castitate, & obedientia plene amanda, et custodienda: dilectione, meditatione, & oratione: de stabilitate in cella, de ieiunio, & abstinẽtia, de silentio, et alijs omnibus Monasticis consuetudinibus eos instruant: potissimeq; humilitatem cordis, & corporis, exterioremq; compositionem seruare, non tantum uerbis, quantum exemplo doceant. Minus enim efficax est uerborum instructio, nisi doctoris fuerit exemplo confirmata.

Quod ad Conuersos attinet, post ubi etiã ipsi, antequã habitũ suscipiant, probati modo supradicti fuerint, recipiantur: et habitu Nouitiorũ induantur. Et anno probationis elapso, prius, inter patres, ac seniores, deinde modo supradicti, in communi cap. à maiori parte recepti, ad sacrã admittantur professionẽ, in qua eis à Prælato in capitulo de more casula, seu planeta tradetur, & habitus cingulo coriaceo cingatur, & postremo ad amplexum

plexum pacis admittentur. Declararunt etiã, iuxta maiorum constitutiones, Conuersos antedictos, fratres uocari debere, ac esse, omnibusq; Gratijs, & privilegijs gaudere, sicuti & clerici gaudent. Idemq; de Commissi: etiam intelligi uolunt. Fratres itidem Conuersos participes esse uolunt omnium bonorum spiritualium, quæ sunt in congregatione: dummodo & ipsi loco diuini officij sua, Pater noster, & Aue Maria, persoluant. Nempe pro Matutinis, seu uigilijs quadraginta Pater Noster, pro laudibus Decem, & pro qualibet alia hora Canonica quinque. Quo ad suffragia Mortuorum, pro anima cuiuslibet fratris defuncti nostræ congregationis, etiam si sit Conuersus, aut Commissus, & pro qualibet Moniali dicent Sacerdotes tres Missas; Clerici autem non Sacerdotes, tribus uicibus, officium Mortuorum. Conuersi uero, & Commissi trecentum Pater noster, & totidem Aue Maria. Quod ad locum, secundum ordinem professionis, post omnes Monachos Clericos sua loca inter se seruabunt: Et in refectorio separatã mensam habebunt, eosdem tamen cibos, ut alij comedent. Omnibus diebus, tã festis, quam ferialibus teneantur, & ipsi ydem Cõuersi surgere ad matutinas, nisi forte senio, infirmitate, uel graui officio impediantur: & in choro in locis suis post Nonitios, uel alibi audituri consistere. Similiter teneantur diebus festis interesse uesperis in choro, nisi forte in aliquo negocio à Pralato fuerint occupati, uel ad custodiam Monasterij, & ad ianuam positi essent.

Vt autem hæc omnia addiscere, & obseruare ualeant, assignetur Nouitjs Conuersis à Prælato, peculiaris Magister, & Confessarius, qui eos de his omnibus frequenter admoneat, ut sic, uel aliquam religionis formam ipsi etiam nacti esse uideantur.

Conuersi post professionem, si aliquo pacto deliquerint, ut alij professi emendentur, & puniantur. At uero Commissi, si uitiosam duxerint uitã possint à Prælato de consilio seniorum (si emendatio non speratur) habitu religionis exuti, a Monasterio licentiari. Ad hos enim tam recipiendos, quam licentiandos, non requiritur assensus; totius capituli, sed tantum seniorum, & patrum. Placet patribus, ut Prælatus possit Conuersis qui legere sciunt, dare licentiam officiolum uirginis dicendi loco suorum Pater noster; & similiter officium mortuorum. Verum illud in proprijs cellis persoluant, aut in aliquo alio loco reposito, ne forte spiritu superbie tententur, aut admirationem aliqui ingerant, uel scandalum.

Vetuerunt præterea, ne aliquis Conuersus permittatur fieri sacerdos, uel clericus: eo enim quis redditur indignus, & tanto munere, cum illud presumptuose querit, & non uocatus maiorum imperio, immo ipsis inuitis, ad tantum gradum nititur ascendere. Quicumq; autem, per uiam extraordinariam (quemadmodum aliquando contingit) id muneris nancisceretur, & Sacerdos uel Clericus fieret, absq; suorum prælatorum licentia, uelutifur, & latro (cum per hostium non intrauerit) censeatur

seatur, & in nostra congregatione nunquam, nisi pro Conuerso recipiatur. Et si redeat, alijs quoq; grauioribus pœnis mulctetur. Neq; possit ad celebrandum habilitari, nisi a Dēssinitorio, per tria capitula successiue celebrata, & conformia. Et Prioribus quinque annis à sua reuersione in congregationem vicinum locum teneat inter Conuersos, & sit omnium nouissimus, nec uocetur dominus, sed frater, ut alij Conuersi, & Clerici non Sacerdotes. Quod si quis eum Dominum uocauerit, dicat de eo suam culpam in capitulo coram omnibus.

Si quis Nouitius Clericus, uel Conuersus, infra annum probationis, habitum abiiciens recesserit, uel ob sua demerita à patrib. expulsus fuerit, non audeat Prælati eiusdem Monasterij, neque alicuius alterius nostræ congregationis, ipsum sic discessum, uel expulsum denuo recipere, nisi de licentia speciali Patrum Dēssinitorum. Idem quoq; fieri mādant circa eos, qui alterius religionis Nouitij fuerint. Quod si Prælati contraxerint, per tres annos in pœnā, sit priuatus uoce tam ætliua, quam passua, in electione Dēssinitorum in capitulo. Teneantur omnes & singuli fratres Conuersi, ac etiam Cōmissi quotidie antequam manum suis exercitijs apponant, Missam audire: nec id pretermittant, quauis de causa, cum scriptum sit. Primum querite regnum dei &c. Et qui secus fecerint ad arbitrium Prælati puniātur. Electio Magistri Nouitiorum ad Prælatum solum pertinebit, qui diligentius consideret cui, parui sui Gregis curam comittit. Cum re uera, nullum uideatur officium

*ficium in Religionibus Magisterio Nonitorum
difficilius, ac maioris momenti. Et si inueniri qui-
dem posset, talis ad id muneris obeundum, deligen-
dus esset, qui (uti Etnichus ille cecinit) esset inte-
ger vita, scelerisq; purus: Immo uero ut psalter
ait, innocens manibus, & mundo corde.*

**DE FILIIS NOBILIVM, VEL
Pauperum, qui offeruntur. Cap. LIX.**

SI quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in
Monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes
eius faciant petitionem, quam supra diximus, & cum
oblatione ipsam petitionem, & manum pueri inuo-
luant in palla Altaris, & sic eum offerant. De rebus
suis, aut in presenti petitione promittant sub in-
reirando, quia nunquam per se, nunquam per sus-
pectam personam, nec quolibet modo ei aliquando ali-
quid dent, aut tribuant occasionē habendi. Vel certe
si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in
eleemosinam Monasterio pro mercede sua, faciant ex
rebus quas dare volunt Monasterio, donationem, re-
seruato sibi, si ita voluerint vsufructu. Atque ita om-
nia obseruantur, vt nulla suspicio remaneat puero,
per quam deceptus perire possit (quod absit) quod ex
perimento didicimus. Similiter autem & pauperiores
faciant. Qui uero ex toto nihil habent, simpliciter
petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium
suum coram testibus.

HOc capitulum Regule nō uidetur multa ege-
re declaratione, cum iam dictum sit, nullum
recipi debere ad habitum, qui sit minor quindecim
annorum. Non enim modo, uti tempore D. Pa-
tris Benedicti, pueri à Parentibus, imbuendi sa-
cris

cris moribus, nostris Monasterijs traduntur. Et quidem sacrosanctum Tridentinū Concilium prudenter egit, inhibens ne quis ante decimum sextū annum expletum, faciat professionem. Si namq; cum pueris regularis observantia rigor non flecteretur, facile infirmarentur, aut debiles fierent, & minime secundum corpus, & pro ætate perficerentur: Si vero sacra religionis austeritates cum eis dispensarentur, iam Monastica observantia minui quis non uideat? Quod ad nobilitatem in nostra congregatione, absq; vllō discrimine, tam Nobiles, quam ignobiles, & humili nati loco, recipiuntur, dummodo cætera adsint; & bene educati sint, & cum timore Dei. Nam & Christus humili natus est loco scilicet apud Bethleem in præsepio, et pauperes, & piscatōres in hoc mundo elegit sibi discipulos, & amicos.

Ubi in regula dicitur. Vel certe si hoc facere voluerint. Precipiunt Patres, q̄ nullus solo, ac principali respectu, aut spe diuitiarum, uel hereditatis, vllō pacto in nostra congregatione recipiatur: sed habeatur in primis dumtaxat ratio bonitatis, morum, ac meritorum. Non enim verū terrenarum auaritate, in domo Dei admitti debent, qui prorsus indigni existimantur, nec ad munera religionis obeunda vllō modo sunt apti. Vbi dicitur. Vt nulla suspitio remaneat puero &c. Omni diligentia curetur, ut pueris ad nostram religionem transeuntibus, nulla spes amicitie, diuitiarum, aut cognationis in seculo remaneat, per quam possint à diuino seruitio facile auocari.

Idcir-

Idcirco, post habitus receptionem eum adhortentur, immo cogant, ut ante professionē renunciatio- nem faciat omnium, quę in seculo possidebat, iuxta decretum sacri Concilij Tridentini: et omnino ab omnibus secularibus se expediat. Caueat etiā Magister, sub grauiori pœna, ne permittat quem piam Nouitium loqui cum secularibus, nisi ipse, uel alius uice sui, eum comitetur.

DE SACERDOTIBVS, QUI
uoluerint in Monasterio habitare.

Cap. LX.

*SI quis de ordine sacerdotū in monasterio se suscipi-
Srogauerit, non quidem ei citius assentiatur. Ta-
men si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se
omnem regulę disciplinam seruaturum, nec aliquid
ei relaxabitur, ut sicut scriptū est, Amice ad quid ve-
nisti? Concedatur ei tamen post Abbatem stare & be-
nedicere, aut missas tenere, si tamen iusserit ei Ab-
bas. Sin alias, nullatenus aliqua pręsumat, sciens se di-
scipline regulari subditum, & magis humilitatis exem-
pla omnibus det. Si forte ordinationis, aut alicuius
rei causa fuerit in monasterio, illum locum attendat
quando ingressus est monasterium, non illum qui ei
pro reuerentia sacerdotii concessus est. Clericorum
autem si quis eodem desiderio monasterio sociari vo-
luerit, loco mediocri collocetur, si promittit tamen ip-
se de obseruatione regulę uel propria stabilitate.*

*CVM nunquam consueuerit nostra Congrega-
tio, neq; Sacerdotes, neq; alios, qui fuerint
alterius religionis recipere, eam consuetudinem
mandāt Patres nunc etiam, ac in posterum obser-
uari*

uari. Si tamen aliquando quispiam literatus, ac bonis moribus peditus, cum licentia suorum superiorum, peteret in nostram Congregationem, tamquam ad strictiorem uitam admitti, recipi possit ad probationem, sed per annum cum proprio habitu maneat. Transacto uero anno, si mores, & merita eius id exposcerint, fueritq; ipse eiusdemet animi, de licentia Patris Generalis, aut Definitorii, proponatur fratribus, & si ab eis receptus fuerit (cum iam per annum sub Magistri disciplina, quamquam in proprio habitu, perseuerauerit) sacro habitu nostro induatur, et simul professionem faciat, uti moris erat tempore Diui Benedicti. Et siquidem fuerit sacerdos, amoveatur à cura Magistri, & locum suae professionis inter fratres sacerdotes obtineat. Nihilominus qui ante eum professionem fecerint, cum fuerint, & ipsi Sacerdotes, eum precedant. Si autem sacerdos non fuerit, manebit sub cura Magistri, ut alij usq; ad sacerdotium ipsum. Haec autem intelligi debent de regularibus, nam quo ad Sacerdotes Seculares, recipiantur, induantur, ac profiteantur, sicut, & ceteri, qui à seculo ueniunt. Sint tamen Praelati circa hoc prudentes; ne facile recipiendo tales regulares, vel Sacerdotes laicos, offendant, aut scandalizent eos, à quibus discesserunt. Cum autem contigerit Sacerdotes, seu praebiteros in Tirocinio recipi, ob reuerentiam Gradus; omnes alios Nouitios, non praebiteros, antecellent, nullo tamen facto praediuicio, quo ad professionem.

DE MONACHIS PEREGRINIS
qualiter suscipiantur. Cap. LXI.

Siquis Monachus peregrinus de longinquis prouincijs superuenerit, si pro hospite uoluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci, quam inuenerit, & non forte superfluitate sua perturbat Monasteriũ, sed simpliciter contentus est quod inuenerit, suscipiatur quanto tẽpore cupit. Si qua sane rationabiliter & cũ humilitate charitatis reprehẽdit, aut ostendit, tractet Abbas prudenter, ne forte cũ propter hoc ipsũ dominus direxerit. Si uero postea uoluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis uoluntas: & maxime quia tempore hospitalitatis potuit eius uita dignosci. Quod si superfluus aut uitiosus inuentus fuerit, tẽpore hospitalitatis: non solum, nõ debet sociari corpori monasterij: uerum etiam dicatur ei honeste ut discedat: ne eius miseria etiã alij uitentur. Quod si non fuerit talis, qui mereatur proijci: non solum si peterit suscipiatur congregationi sociandus: uerum etiam suadeatur ut stet: ut eius exemplo, alij erudiantur: & quia ut omni loco vni domino seruiatur: ubi regi militatur. Quem si etiam talem perspexerit Abbas, liceat cum in superiori aliquantulum constituere loco. Non solum autem Monachum, sed etiã de supradictis gradibus sacerdotũ uel clericorum, stabilire potest Abbas in maiori quam ingreditur, loco, si eius talem prospexerit esse uitam. Caueat autem Abbas ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat, sine cõsensu Abbatis eius, aut literis comendaticijs: quia scriptum est. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Circa capitulum hoc sexagesimum primũ, praecedenti non absimilẽ, sanxerunt in primis patres, quod Monachi peregrini, omni charitatis affectu

fectu, ceu hospites, in nostris Monasterijs recipiantur.

At vero non ita facile in congregatione admittantur. Siquidem sunt complures, qui non zelo vita, sed magis leuitate quadam ducti, seu magis indignatione, proprias dimittunt religiones, et alias querunt. Huiusmodi itaq; peregrini Monachi ac presbiteri, de quorum vita, & moribus nulla certa informatio haberi potest, non possunt recipi inter nos, nisi de licentia Definitorij. Immo vero in recipiendis etiã illis, qui de proximo veniunt, mature procedant Prelati: cum plerumq; tales antiquis eorũ moribus minime renunciantes, ceteris perturbationi, et fastidio esse soleant. Quod ad medicantes, stante constitutione Martini Quinti: qui eos reciperet, esset ipso facto excommunicatus, et ipse quoq; receptus teneretur ad ordinẽ suum redire. Vbi in regula dicitur, Quanto tempore cupit, declarant Patres, quod Monachi peregrini, ac hospites non admittantur, vt est supradictum; in nostris Monasterijs vltra tres dies. Id enim exgere videntur tempora, in quibus nos in presentia sumus.

DE SACERDOTIBVS MONASTERIJ. Cap. LXII.

SI quis Abbas sibi Præbiterum vel Diaconũ ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autẽ caueat elationẽ aut superbiam; nec quicquam præsumat, nisi q̃ ei ab Abbate præcipi sanciens se multo magis disciplinæ regulari subditũ.

Nec occasione sacerdotij obliuiscatur regulæ obedi-
tiam & disciplinam, sed magis ac magis in deum pro-
ficiat. Locum vero illum semper attendat quo ingres-
sus est Monasterium: præter officium Altaris, & si for-
te electio congregationis, & voluntas Abbatis, pro vi-
tæ merito eum promouere voluerit. Qui tamen regu-
lam a decanis, vel Præpositis constitutam sibi seruan-
dam sciat. Quod si aliter præsumpserit non vt sacer-
dos; sed vt rebellio iudicetur. Et siæpe ammonitus si
non correxerit; etiam Episcopus adhibeatur in testi-
monium. Quod si nec se emendauerit, clarescentibus
culpis, proijciatur de monasterio: si tamen talis fuerit
eius contumacia, vt subdi aut obedire regulæ nolit.

Quod ad Sacerdotes Monasterij, uolunt pa-
tres, vt cum, mittendi sunt iuuenes ad sa-
eros ordines suscipiendos, ea omnia, quo ad mores
doctrinam, & atatem, seruentur, qua in concilio
sacro Tridentino, notata sunt. Nullum præterea
Prælati mittere possit, nisi de seniorum consilio,
& approbatione: quorum conscientias grauant
nunc Patres, si vel odio, vel amore, a iustitia de-
nuntiantes, quempiam indignum admiserint, uel di-
gnum, & idoneum amouere, ac reicere præsum-
pserint. Prius itaq; in Monasterio tales promo-
uendi examinentur, circa atatem, mores, &
doctrinam. Et si idonei reperti fuerint, tum ad
Episcopum transmittantur cum aliquo seniore.

Nullus absque licentia Patris Generalis, ad
aliquem ordinem sacrum promoueri possit, nisi
santum ad quatuor minores, ad quos suscipiendos
sufficiat licentia Prælati sui ordinarij: cum con-
silio seniorum.

Ad Sacerdotium vero nullus promoueat, ni

si post decennium à receptione habitus nostri, nisi forte cum aliquo dispensetur per Patres Definidores. Præcipiunt etiã Prælati omnibus nostræ cõgregationis, quod quando cantatur Missæ Nouellæ, non permittant fieri inuitationes, neq; oblationes solemnes, sed cum simplicitate magis, ac deuotione ea omnia fiant, ut religiosos deceat. Qui uero secus fecerit, grauiori pœna puniatur.

Quicumque, per viam extraordinariam, aut fraudem, ordinem aliquem sacrum indignus, & non præscripto seruato ordine, susceperit, detecta eius fraude, suspendatur, nec possit tali officio fungi, quo ad visum fuerit P. Generali. Et Prælati, qui huiusmodi indignos, scienter ordinari permiserint, per biennium omni regimine sint priuati. Ad confessiones uero audiendas, præcipue secularium, diligentissime caueant Prælati, ne tales exponant, qui eo munere sint indigni, sed viros duntaxat probatos, bonos, & doctos, qui sciant morbis animarum salutarem adhibere medicinam, præsertim considerantes, quod qui non sunt in quibusdam casibus maxime periti, facillime caspitare possint. Et quamquam, ob priuilegia, facultatem episcopalem in ablucendis peccata habere videamur, nihilominus parce, & cum moderatione ea uti debemus: ne ansam peccatoribus recidiuandi, obtentu nouæ absolutionis, demus. Pro confessionibus autem, nihil omnino petere audeant fratres nostri, immo nec si offerantur accipiant. Si tamen aliquando quidpiam recipere cogantur, statim illud sacriste resignent,

vel Prælati. Et qui secus fecisse depræbensus fuerit, eius in pœnam, officio priuetur. Deniq; circa dictas confessiones, comuniones, celebrationes Missarum, sepulturas, & huiusmodi, fiat in Monasterijs nostris, & Ecclesijs iuxta tenorem privilegiorum, felix recordationis LEONIS Decimi, multorumque aliorum summorum Pont.

DE ORDINE CONGREGATIONIS.

Cap. LXIII.

Ordines suos in Monasterio ita conferuent, ut conuersionis tempus & vitę meritum discernit vel ut Abbas constituit. Qui Abbas non conturbet gregę sibi commissum; nec quasi libera vtens potestate, iniuste disponat aliquid: sed cogitet sęper quod de omnibus iudicijs, & operibus suis redditurus est deo rationem. Ergo secundum ordines quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedāt ad pacę, ad comunionem, ad psalmum imponendum: in choro stant dum. Et in omnibus omnino locis ætas non discernatur in ordine nec præiudicet: quia Samuel, & Daniel pueri præbyteros iudicauerunt. Ergo exceptis his, quos (ut diximus) altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradauerit, certis ex causis; reliqui omnes ut cõuertuntur ita sint; ut verbigratia: qui secunda diei hora venerit in Monasterio, iuniorem se nouerit esse illo, qui prima hora diei venit cuiuslibet ætatis aut dignitatis sit.

Pueris vero per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Iuniores ergo Priores suos honorent: Priores iuniores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro appellare nomine: sed Priores iuniores suos fratres nominent, iuniores autem Priores suos Domnos vocent. quod intelligitur paternam reuerentiam. Abbas autem quia vices Christi agere videtur Dominus, & Abbas vocetur; non sua

assumptione, sed honore, & amore Christi. Ipse autem cogitet: & sic se exhibeat: ut dignus sit tali honore. Vbiunque autem sibi obuiant fratres, iunior a Priore benedictionem petat, transiente maiore, iunior surgat, & det ei locum sedendi: nec presumat iunior confedere, nisi ei præcipiat senior suus: ut fiat quod scriptum est. Honore inuicem preuenientes. Pueri vel adolescentes in oratorio, vel ad mensam, cum disciplina ordines suos consequantur: foris autem vel vbiubi custodiam habeant, & disciplinam vsq; dum ad intelligibilem ætatem perueniunt.

Circa ordinem congregationis, ut obseruetur, quo ad fieri potest, quantum in præscripto Regule capitulo instituitur, præcipiunt Patres, ut post Prælatum Monasterij, Priorem, vel Subpriorem, Titulares, & Decanos, vnusquisque Monachus locum suę professionis obtineat: & inter Decanos illi præcedant, qui primitus professionem fecerunt. Verum si quis ob aliquod suum delictum; e gradu, & loco suo deiectus fuisset, non locum suę professionis inter fratres obtineat, sed eum, qui sibi ob sua demerita assignatus fuerit. Vbi Regula dicit. Abbas non conturbet Gregem sibi commissum nec quasi libera vtens potestate, iniuste deponat aliquem &c. Præcipiunt Patres, ne Prælati circa ea quæ in hoc capitulo tractantur, & circa omnia alia: nihil quod sit alicuius momenti, innovent, aut faciant, citra rationem, nec sine assensu seniorum ac etiam aliquando fratrum.

Neque sibi persuadeat Prælatus absolutum super Monachos habere dominium; sed magis pastorem esse, ministrum, & seruum in domino.

Cogitetq; se aliquando, non solum Deo, sed & hominibus redditurum esse ministerij sui rationem. Vbi dicitur, Exceptis, quos vt diximus altiori consilio &c. Nolunt Patres, vt aliquis possit supra locum sue professionis ascendere, nisi sit in aliquo dignitatis gradu, vt dictum est in cap. de Decanis. Itaq; primum locum in Monasterio teneat Prælatus, secundum Prior, vel Subprior, de inde sequantur Decani, tum Magister Novitiorum. Postremo reliqui omnes, secundum locum professionis; & hoc in Choro, Refectorio, Capitulo, & alijs locis, in quibus omnes conueniunt. Ratio tamen habeatur sacrorum ordinum, ita ut sacerdos Diaconum antecellat; Diaconus Subdiaconum &c.

Prælati inter se locum teneant, iuxta Monasteriorum ordinem, pro vt infra declarabitur: ita tamen, vt Prælatus domus omnes alios (cum plures ibidem simul esse contigerit) antecellat. Reuerendissimus tamen Generalis supra omnes semper, et vbiq; in nostra Congregatione sit. Similiter visitatores, sed in actu duntaxat. Visitationis, supra omnes, post Generalem, locum teneant, etiam supra Prælatum domus.

Quo ad Prælatos Titulares, in Monasterio vbi morantur, post Abbatem, et Priorem Claustralem, primum locum teneant: inter se autem, secundum ordinem Titulorum. Vicarij vero prouinciarum post P. Generalem primum locum habeant vbiq; in sua prouincia, etiam supra visitatores, licet presens sit Generalis, nisi dum sunt in actu visitationis.

Cum vero omnes quatuor Vicarij simul adesse contigerit, una cū Reuerendissimo Patre Generali, & Visitatoribus, primū locum tenebit ipse Generalis; secundum Vicarius illius provinciae. Tertium Visitatores; alios deinde alij tres Vicarij secundum ordinem suarum Provinciarū. Provinciae vero hunc inter se ordinem seruent. Prima provincia sit Hetruria, respectu Heremi: secunda Venetiarum: Tertia Emiliae, seu Romandiolae. Quarta, ac postrema Agri piceni, siue Marcae Anconitanae, & Umbriae.

In provincia Tusciae, & Dominio Florentino, sunt sacra Heremus Camaldulensis, totius ordinis caput. Monasterium Sanctae Mariae de Angelis in Urbe Florentia. Abbatia Sancti Michaelis Pisarum. Abbatia Rose, et Prioratus Arcus Senarū. Abbatia Sancti Iustii, & Clementis Volaterrarū. Prioratus Sanctae Mariae & Benedicti, prope Castrū Montis San. Sabini. Abbatia Sanctae Mariae de Agnano in Dioc. Arr. Abbatia S. Mariae in Balneo. Abbatia Sā. Michaelis de Arretio. Prioratus San. Nicolai de Burgo. Abbatia San. Mariae in Trivio, siue Montis Cornarū. Abbatia Insulae Montis Christi, & Monasteria Monialium Sancti Petri de Lucho in Agro Muxellano. Sancti Iohannis Euāgelistae de Buldrone, prope Florentiā. Sancti Iohannis Euāgelistae de Prato Veteri. Et Diui Benedicti de Arretio.

In provincia Venetiarū sunt haec Monasteria. Abbatia Sā. Michaelis, et Prioratus Sā. Mathiae de Murano: San. Iohānis à Iudaica. Abbatia Carceris

ceris in Territorio Patavino. Prioratus Sancti Viti de Vicentia; & Monasterium Monialium Sanctæ Christinæ de Trivisio.

In prouincia Romandiole Sunt, Abbatia Clafsis in Ciuitate Rauenna. Abbatia Sællæ Mariæ de Vrano, prope Bretinorium. Monasteria Sancti Iohannis; & Sancti Hipoliti de Fauentia. Prioratus Sancti Saluatoris de Foro luio. Sancti Iohannis de Bagnacavallo: & Monasteria Monialium Sanctæ Crisline Bononie. Sælli Maglorij, & Sanctæ Trinitatis Fauentiæ.

In prouincia Agri Piceni, & Vmbriæ. Sunt Abbatia Sanctæ Crucis de Anellana à Pio V. Põtifice Max. congregationi nostræ vnita. Abbatia Vallis Castri, siue Sancti Blasii de Fabriano, Vbi sacrum Diui Romualdi Corpus colitur. Prioratus Sancti Seueri de Perugia, & Monasterium Monialiũ Sælli Sebastiani de Fabriano. Procurator vero generalis, Prioratus Sælli Nicolai de Vrbe & Abbas S. Quatuor nulle harũ prouinciarum sunt in præsentiarũ subiecti. Declararunt etiã, ac volunt, si aliquis prælatus Titularis fueret à P. Generali Vicarius alicuius prouinciæ electus, quod in Monasterio vbi moratur, & in omnibus membris illius, post Prælatum primum locum habeat: extra vero illius Monasterij iurisdictionem, etiam Prælatus illius loci in quo moratur, antecellat, imo vero in processione per ciuitatẽ, si cõtingat eos ire, Vicarius primũ locũ tenebit, & non prælatus. In dõmo igitur dumtaxat sua, et illius mēbris prælatus ordinarius præibit. In alijs vero Monaste-

rys provincie sue dictus Vicarius supra oēs erit excepto quando presens extiterit Reuerēdissimus Generalis; quoniā tunc post Generalē primū locū habebit praelatus Domus. Tertium vero Vicarius. In alijs vero casibus, absente Generali, & Vicario. Prælati in sua domo omnes alios, etiam prælatos, anteibit. Ii etiam qui Generales fuerunt, uolunt Patres, ut semper, & ubiq; primum locum, post ipsum Reuerēdissimum Generalem, & prælatum domus, obtineant, etiam supra visitatores, nisi dum sunt in actu visitationis. Vt autem sciatur quem ordinem inter se prælati nostræ Congregationis tenere debeant in capitulo, uel ubicunq; simul conuenire eos contigerit R. P. Dominus Iohannes Baptiste Generalis, & R. P. Dominus Antonius de Pisis Prior Sanctæ Mariæ de Angelis de Florentia, ex cōmissione sibi à patribus definitoribus data, post maturam considerationem, ita ordinantes declararunt debere inter se Patres cōgregationis loca tenere, uidelicet primū locum.

- 1 Reuerēdissimus pater Generalis.
- 2 Primus Visitator.
- 3 Secundus Visitator.
- 4 Prior Eremiti.
- 5 Abbas S. Michaelis de Murano.
- 6 Abbas Classis.
- 7 Abbas S. Mariæ de Carceribus.
- 8 Abbas S. Crucis de Auellana.
- 9 Abbas Vallis Castri.
- 10 Prior Sancti Mathie de Murano.
- 11 Prior Angelorum de Florentia.

- 12 Procurator Generalis.
 13 Abbas Sancte Mariæ de Vrano Bret.
 14 Abbas Sanctorum Iusti, & Clementis de
 Volaterris.
 15 Abbas Sancti Michaelis de Pisis.
 16 Abbas Sanctæ Mariæ de Agnano.
 17 Abbas Sanctæ Mariæ in Balneo.
 18 Prior Sancti Hipoliti de Fauentia.
 19 Abbas Rosæ Senarum.
 20 Prior Sancti Iohannis de Fauentia.
 21 Prior Sancti Iohannis à Iudaica.
 22 Prior S. Mariæ & Benedicti de Monte
 Sancti Sabini.
 23 Prior Sancti Iohannis de Bagnacavallo.
 24 Prior Sancti Saluatoris de Forolinio.
 25 Prior Sancti Seueri de Perusia.
 26 Prior Sancti Iusti de Vicentia.
 27 Abbas Insulae Montis Christi. Tit.
 28 Abbas S. Michaelis de Arretio. Tit.
 29 Abbas S. Mariæ in Triuio. Tit.
 30 Prior Arcus Senarum. Tit.
 31 Prior S. Nicolai de Burgo. Tit.
 32 Prior S. Nicolai de Vrbe. Tit.
 33 Abbas Sanctorum Quatuor. Tit.

Sciendū. præterea, q̄ prælati Titulares, ultra ea,
 quæ dicta sunt, in omnibus subditi esse debent præ
 latis ordinarijs Monasteriorum, in quibus moran
 tur, non secus quā alij privati Monachi. In omni
 bus, inquā, ad illud idē Monasteriū pertinetibus,
 Ordinarij etiā Priores, vel Supprios claustra
 les, nec non Decanos, & Magistros Nouitiorum
 extra

extra Monasteriū ubi tales gradus habēt, et eius loca, & mēbra; nullum alium locū tenere debere, quā suę professionis. Vbi Regula dicit. Pueris vero &c. Pręcipiunt patres, ac volunt, quod pręlati ac Magistri Nouitiorum, seu iuuenū, doceant eos vbiq; reuereri senes, ac sacerdotes, detegendo caput, sistendo, ac locū dando, seu assurgendo, dū trāsunt; inclinando, & alia huiusmodi reuerentię signa faciēdo. Immo hoc non solū erga maiores et seniores obseruare debent Nouiti, ac iuuenes, uerū etiā inter se sacerdotes, iuniores, et senes, dū sibi inuicē obuiāt, inclinādo caput, uel detegēdo, et id genus reliqua faciēdo, que etiā nūc vrbalitas docet.

DE ORDINATIONE ABBATIS.

Cap. LXIIII.

IN Abbatis ordinatione illa semper cōsideretur ratio, vt hic constituatur quę sibi omnis concors congregatio secundū timorē Dei siue etiam pars, quanuis parua congregationis saniori consilio elegerit, vitę autem merito & sapientię doctrina eligatur qui ordināndus est, etiā si vltimus fuerit in ordine cōgregationis. Quod si etiam omnis cōgregatio vitijs suis (quod quidē absit) consentientē personā pari consilio elegerit & vitia ipsa aliquatenus in notitiā Episcopi, ad cuius diocæsīm pertinet locus ipse, vel Abbatibus aut christianis vicinis claruerint, prohibeant prauorum preualere consensu. sed domui Dei dignum constituant dispensatorem, scientes pro hoc se recepturos mercedē bonam si illud caste & zelo Dei faciant, sicut econtra rio peccatum incursum si negligant.

Ordinatus autē Abbas cogitet sēper quale onus suscepit, & cui redditurus est rationē villicationis suę, sciatq; sibi oportere prodesse magis, quā pręesse. Oportet

tet ergo eū esse doctū lege diuina; vt sciat vnde profo-
 rat noua & vetera, castum, sobriū, misericordē, & sem-
 per superexaltet misericordiā iudicio, vt idē ipse con-
 sequatur. Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autē cor-
 reptione prudenter agat, & nequid nimis, ne dū nimis
 cupit eradere eruginē, frangatur vas. Suāq; fragilitatē
 semper suspectus sit, memineritq;, calamū quassatū
 non conterendū. In quibus non dicimus, vt permittat
 nutrirī vitia, sed prudenter, & cū charitate ea ampu-
 tet, prout viderit cuiq; expedire, sicut iam diximus, &
 studeat plus amari quā timeri. Non sit turbulentus &
 anxius, non sit nimius, & obstinatus, non sit zelo-
 typus & nimis suspiciosos, quia nunquam requiescet,
 In ipsis imperijs suis sit prouidus, & consideratus,
 siue secundum Deum, siue secundum seculum sint.
 Opera, quæ iniungit, discernat, & tēperet, cogitans dī
 scretionem sancti Iacob, dicentis. Si greges meos plus
 in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vno
 die. nec ergo aliaq; testimonia discretionis, matris vir-
 tutum sumens, sic omnia tēperet, vt sit quod & for-
 tes cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipue, vt
 præsentē Regulā in omnibus cōseruet, vt eū bene mī-
 nistrauerit, audiat a domino seruus bonus, qui eroga-
 uit triticum conseruis suis in tempore suo. Amen de-
 co vobis ait, super omnia bona sua constituet eum.

Quoniam, sic exigente nostrorum horum tem-
 porum qua litate, non hodie per omnia
 eliguntur Abbates, alijque prælati à Monachis
 Monasteriorum, sed ab vniuersa Congregatione,
 & capitulo. Ea propter qua ad regimen Con-
 gregationis, & ordinationem Abbatum, & alio-
 rum Prælatorum spectant; ex ordine iusserunt
 apponi Patres, non sub hoc Regulæ capitulo (lon-
 gior enim esset hic nostra oratio) sed in calce hu-
 ius voluminis, & in libro ab alijs declarationi-
 bus

bus, & constitutionibus separato. Attamen hoc loco dicentur aliqua de authoritate, & potestate Prælatorum.

Sciendum igitur in primis est, quod Abbates nostræ Congregationis, immo, & Priores (ubi titulus est Prioratus, & non Abbatij) habent omnia priuilegia, insignia, & iurisdictionem, quam perpetui Abbates, ac Benedicti habere consueuerunt: & quod consequenter possunt benedicere corpo, alia, Vestes, ceteraque Ecclesiastica ornamenta, etiam eis vnde cumque delata, tam à nostris, quam ab alijs: uti videre est in priuilegijs Felic. Record. LEONIS Decimi. §. 34. Præfati sic electi &c.

In confessionibus secularium absoluere possunt ab omnibus casibus concessis à dicto, & alijs summis Pontificibus nostræ congregationi: & eandem facultatem absoluendi suis subditis concedere.

Liberam quoque potestatem habent iidem Prælati nostræ congregationis super Monasteria, loca, & personas eis commissas, tam in spiritualibus, quàm in tēporalibus, iuxta Dini Benedicti Regulam, & præsentem has constitutiones, atq; declarationes: & consequenter corrigendi, puniendi, & penitentiandi subditos suos delinquentes, iuxta hos nostros ordines.

Item Prælatus quilibet facultatem habeat videndi, atq; examinandi licentias fratrum, qui forte extra congregationem vagarentur, & si inuenit, eos non seruasse conditiones dictarum licentiarum, vel aliter deliquisse cum scandalo secularium

& dedecore religionis potest, ac tenetur punire eos incarcerando, & alia faciendo, quæ opus erit invocato etiam auxilio brachij secularis

Vbi dicitur in superscripto capitulo Regula.

In notitiâ Episcopi &c. Sciendū est quod hodie, congregatio nostra (quemadmodū, & alia cōplures) exēpta est a iurisdictione ordinaria; & immediate Sanctę Sedi Apostolicę subiecta. Quare dū quidpiam occurrit, quod maioris potestatis auctoritate egeat, quā ea sit Patris Reuerendissimi Generalis, non ad Episcopū, sed ad ipsum Beatissimū Patrem recursus haberi debet. Tanta si quidē est Reuerendiss. nostri in sua congregatione facultas; quāta Episcopi in sua Diœcesi, immo vero maior, quoniam Episcopus non nisi in spiritualibus potestati habet, ac vero noster Generalis tā in temporalibus, quā in spiritualibus. *Vbi rursus in regula dicitur. Ordinatus autē Abbas &c. Cū toties, ac tot in locis, de partibus eius, qui in Abbatē eligi debet, differtū sit, cum a nobis, tū a patre Divo Benedicto, presertim vbi dicit. Vitæ autē merito & sapientiæ doctrina eligatur. Item ibi, Sciatq; sibi oportere prodesse magis quā preesse: Visum est patribus nihil circa hoc addere. Tantūmodo hortantur tam eligēdos, quam Electores, ut diligenter animaduertant quam graue onus, & difficile iugum, vel suscipiant ipsi, vel alicui imponant humeris. Sed hætenus de his.*

Idem patres ordinant, non obstante auctoritate, quam diximus habere prelatos, nemini corū licere in locationibus, & assiduis annualibus,
de

de triennio in triennium; accipere pecuniam, unius triennij ante, cum damno, & praiudicio succesforis: imo nec unius anni: Sed tantummodo exigantur huiusmodi pecunie, post annum decursum annuatim. Si quis autem contrafecerit, in proximo capitulo puniatur grauius, ita ut saltem careat per biennium voce actiua, & passiuua. Quod si aliquis Prelatus in urgenti sit positus necessitate, nec refugium aliquod habeat, recurrat ad Reuerendissimum P. Generalem, qui, causa diligenter examinata, quod ei iustū visum fuerit. Ipse enim Generalis, ut etiam habetur in dictis privilegijs §. 129. locorum omnium, qui nunc in nostro sunt ordine, aut in futurum erunt, siue in congregatione in presentiarum sunt, siue in posterum aggregabuntur siue etiam extra congregationem sint: totius scilicet Camaldulensium religionis caput, & P. Generalis de anno in annum, maxima cum auctoritate esse censeatur.

Quo ad Prelatos titulares, nolunt Patres, & ut plurimum resideant in Monasterijs, in quibus sunt professi, & de omnibus necessarijs ibidem, ut reliqui Monachi provideantur; nisi forte aliter Patri Reuerendissimo vel Definitoribus uideatur. Primum quoq; locū, eos habere uolunt post Prelatum Monasterij, & Priorem, vel Subpriorem, & ut supra possint singulis annis, ut alij Prelati, ad capitulum, si uelint, pergere, expensis Monasterij. Si autem noluerint, non teneantur, nisi tertio quoq; anno, & quando debet post triennium eligi nouus Generalis. Declarant item Patres, ac

volunt eos exemptos esse in Monasterijs, vbi morantur, ab hebdomada Chori, à lectura Mensæ, & ab omni alio consimili onere. Hortantur nihilominus eos, vt velint, & Chorum & alias Monasterij communes actiones, quantum eis licuerit, frequentare, & domum ipsam in qua morantur, cum in spiritualibus, tum in temporalibus iuuare; & obedientiam, vt decet, Pralato ipsius in omnibus exhibere. Ipsos autem Prelatos titulares in capitulis nostræ congregationis vocem habere, sicut, & ceteri Pralati, non est qui nesciat.

Quo ad officium patrum Visitatorum, sciendum est, quod post ipsum R. P. Generalem, debent ipsi suæ per congregatione inuigilare, die, nocteque, & ipsi in omnibus adiuuare. Neque possit Reuerendiss. absque eorum consilio, et assensu, quippiam alicuius momenti facer; vt puta creare præsules intra annu, Confessarios constituere Monialium, & id genus reliqua, quod si secus fecerit, totum sit irritum, & inane. Propterea vbi pluribus in locis harum constitutionum dicitur, quod penes ad arbitrium Patris Generalis, & consimilia fiant, semper intelligi debet, cum consensu Patrum Visitoru. Vbi vero Pater Reuerendiss. locu aliquo, vna cum eis visitare personaliter non possit, tempore visitationu solito, ualeat ipsos visitatores solos mittere, qui in omnibus uices eius gerant. Quorum maior locu ipsius Generalis obtinebit, & supremam habebit auctoritatem. Visitatores in Monasterijs, in quibus sunt de familia, presente Pralato, primu locu post ipsum, habebunt: ipso vero absente, post Priorem, uel Superiorem claustralem immediate. De

DE PRAEPOSITO MONA-
sterij. Cap. LXV.

Saepe quidem contingit, ut per ordinationem prae-
positi, scandala graua in monasterijs orientur, dum
sunt aliqui maligno spiritu superbiae inflati, qui existi-
mantes se secundos Abbates esse assumētes, sibi tyrāni-
dem, scandala nutriunt, & dissensiones in congregatio-
ne faciunt & maxime in illis locis vbi ab eodem sacer-
dote, vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordināt,
ab ipsis etiam & praepositus ordinatur. Quod quam sit
absurdum facile aduertitur, quia ab ipso initio ordina-
tionis, materia ei datur, superbiendi, dum ei suggeri-
tur a cogitationibus suis exutum se esse a potestate Ab-
batis sui, quia ab ipsis est ordinatus a quibus & Abbas.
Hinc suscitantur inuidiae, rixae, detractiones, emula-
tiones, dissensiones, & in ordinationes, & dum contra-
ria sibi inuicem Abbas Praepositusq; sentiunt & ipsorum
necesse est sub hac dissensione animas periclitari, & hi
qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in per-
ditionem. Cuius periculi malum illos respicit in capi-
te, qui talibus in ordinatione se fecerunt auctores.

Ideoque nos prauidemus expedire propter pacis cha-
ritatisque custodiam in Abbatis pendere arbitrio ordi-
nationem Monasterij sui, & si potest fieri, per decanos
ordinetur, vt antea disposuimus omnis utilitas Mona-
sterij, prout Abbas disposuerit, ut dum pluribus comi-
tatur vnus non superbiat. Quod si aut locus expetit, aut
congregatio petierit, rationabiliter cum humilitate, &
Abbas iudicauerit expedire, quemcunque elegerit Ab-
bas cum consilio fratrum timentium Deum ordinet ip-
se sibi Praepositum. Qui tamen Praepositus illa agat
cum reuerentia, quae ab Abbate suo ei inuicta fuerint,
nihil contra Abbatis uoluntatem. aut ordinationem
faciens: quia quantum praelatus est caeteris, tantum
eum oportet sollicitate obseruare, praecipua regulae.

Qui Praepositus si reperiatur uiciosus, aut elatione

R. ij. dece-

deceptus superbiæ, aut contemptor sanctæ regulæ fuerit comprobatus, admonetur verbis vsque quater si non emendauerit, adhibeatur ei correptio à seiplinæ regularis. Quod si neque sic correxerit, tunc deiciatur de ordine præposituræ, & alius qui dignus sit in loco eius subrogetur. Quod & si postea in congregatione quietus, & obediens non fuerit, etiam de Monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas se de omnibus iudicijs suis Deo redditurum rationem, ne forte inuidiæ, aut Zeli flamma urat animam.

PRiores in Abbatijs, et Subpriors in Monasterijs, habentibus titulum Prioratus, qui hoc in loco à Divo Patre Benedicto, Præpositi Monasteriorum vocantur, eligantur ab Abbate, seu Priore loci, ob verissimas causas, quæ in hoc capitulo Regule enarrantur: Et tunc ipsi Præpositi, quam alij omnes Monachi sunt in omnibus, Prælati suis obediens, nec à voluntate illorum unquam, vel statum unquam, discedant. Volunt præterea præscripti Patres ut Prælati teneatur in primo suo capitulo, post collationem officiorum, intimare fratribus cunctas Patrum ordinationes, & constitutiones novas, in capitulo editas, quæ ad eos pertinere videbuntur. Similiter statuerunt quod mortuo, vel amoto, vel absente (ut puta, cum ad capitulum pergat) Prælato, Prior, vel Subprior vices eius in omnibus obtineat, & eandem habeat auctoritatem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, vsq; ad eius reditum, vel alterius noui Prælati. Attamen obseruentur quecumq; ipse in suo recessu peculiariter seruari mandasset. Item si Prælati quissiam ob aliquam legitimum causam

*sam, capitulo Generali interesse nequiverit, volūz
 nihilominus Patres, quod eo die, quo prasumitur
 alios Pralatos in capitulo esse absolutos, ipse quo
 que, quamquam absens, pro suspenso habeatur, &
 sit quousq; nunciij aduenerint de eius, uel omni-
 moda absolutione, uel confirmatione. At uero si
 quis a capitulo de licentia Patris Generalis ob is-
 tam causam, remaneret, uolunt Patres, huiusmo-
 di perseuerare cum solita auctoritate in prelatur-
 ra, usq; ad Aduentum noui prelati, uel confirma-
 tionem sui. Qui autē sine tali licentia nō poterūt
 ire ad capitulū, mittant aliquē, qui pro eis ueniat
 ciet, & absoluat uel id cōuentuali, ut infra latius,
 comittant. Deniq; in absentia Pralati, in omnibus
 recursus ad ipsos Priores, uel Subpriores habea-
 tur. Et si qua negocia alicuius momenti differri
 poterunt, usq; ad Pralati reditum, differantur.
 Cauebitq; sūmopere prior, uel Subprior, ne quid-
 piam inuouet contra ipsius Pralati absentis uo-
 luntatem, ut morem gerat fratribus. Et si secus fe-
 cerit, permiserit ue religionis dissolutionem, ne dis-
 puniri ab Abbate in reditu suo ualeat, sed &
 aliquando ab officio deponi, iuxta criminis, uel re-
 laxationis qualitatem. Volunt etiam Patres, q̄
 pro excessibus, qui tēpore capituli comittuntur, pe-
 na ordinaria duplicentur. Habeant uero Priores
 seu Subpriores primum locum in sinistra parte
 chori: similiter, & in Refectorio, in capitulo, &
 omnibus alijs locis. Et in absentia Pralati in Be-
 nedictionibus dandis, confessionibus, & absolutio-
 nibus, & huiusmodi faciendis, uices eius exequantur*

tur. Attamen non eximantur ab officio hebdomadae, neq; à lectura Mensis nisi forte essent Titulares. nam ea, quae inducta sunt in fauorem, in odium retorqueri minimè debent. Iidem Priores, & Supprieores in proprijs Monasterijs, et eorum membris, & locis post Pralatum, omnes alios antecedant. Extra uero Monasterium, & eius loca, proprium locum suae professionis ubiq; teneant. Tempore uero Capituli, Prior eius loci ubi celebratur, locum immediate post Economum spiritualem teneat, & officium suum exequatur. Prelati uero, cum ad Capitulum pergunt, non solum secum deferre debent libellum, ubi sunt debita, & credita Domus scripta, cum causis, eorum: uerum etiam earundem rerum copiam, uel trasumptum, ac omnia rerum inuentaria relinquere debent Priori, uel Suppriori: uti successorem in officio pralature de omnibus ijs, informare ualeat. Et si Pralatus hoc facere contempserit, grauius puniatur.

Priorum etiã & Subpriorum sit principalis cura, & Officiũ, agere, ut in omnibus, & in spiritualibus specialiter, constitutiones nostri ordinis, & consuetudines, & cerimoniae omni modo in choro, Capitulo, Refectorio, alijsque locis omnibus obseruentur. Ac etiã docere Sacristas, Choristas, Cantores, Succentores, Lectores, ac alios omnes, quomodo unusquisque suum officium debeat implere, procuret insuper, ut infirmi, cum primo se in manus Medici dederint, consiteantur, Communicentur, consolentur, & rebus omnibus spiritualibus adiuentur.

Quoniam

Quoniam uero libri, omniaque alia bona, quæ ad usum fuere Monachorum (præter quam uestimenta) uolunt patres, ijs defunctis, ad ea Monasteria reuerti, in quibus fecerint professionem: & tantummodo uestimenta Monasterio acquiri, in quo fratres moriuntur. Sit Prioris cura uel Subprioris, statim ut aliquis uita migravit, per inuentariū omnia accipere, quæ eius fratris defuncti fuerunt ad usum, eadēq; custodire diligenter, donec à Pralato unicuiq; Monasterio, quod suū est, resignet. Quod si quis Monachus, uelut, Capellanus, confessor, aut procurator apud aliquod Monasterium Monialium nostri ordinis mortē obiret: decreuerunt patres in tali casu, non solum libros, & omnia alia bona, ut supra, uerum etiam, & uestimenta, quæ ad eius fuere usum, debere, restitui ad Monasteriū, in quo fecerit professionē, quoniā ut sapius dictum est, quicquid acquirit Monachus, acquirit suo Monasterio, & Congregationi.

DE OSTIARIIS MONA sterij. Cap. LXVI.

Ad potram Monasterii ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum, & reddere, cuius maturitas eum non sinat uagari. Qui Portarius cellam debet habere iuxta portam, ut uenientes semper presentem inueniant, a quo responsum accipiant. Et mox ut aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias respondeat, aut benedicat, & cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsū festināter cū seruore charitatis. Qui portarius si indiget solatio, iuniorem fratrem accipiat. Monasteriū autē si possit fieri, ita dedet cōstrui, ut omnia necessaria, idest aqua, molendinū,

R iiij hortus,

hortum, pistrinum, vel artes diuersæ intra Monasterium exerceantur, vt non sit necessitas Monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorū. Hanc autem regulam sæpius volumus in congregatione legi, nequis fratrum se de ignorantia excuset.

Nemini dubium esse debet, Ostiarium vniuersam domum representare, ideoq; oportere illum, non mediocri prudentia, deuotione, humanitate, vigilantia præditum esse, ne scandalum aliquod eius causa oriatur. Quamobrem Patres conformiter ad hoc capitulum in quo D. P. Benedictus præcipit, ut ostij custodia Monasterij non nisi prudenti, & antiquo patri comittatur. Mandant omnibus, & singulis Prælati, ut diligenter curent, tales deligere ostiarios suarum adium, qui edificare laicos, & quoscumque ad domos nostras accedentes, ualeant. Doceant illos, ne ullum tempore silentij, nisi magnis de causis intra claustra admittant: & quo pacto priuatos Monachos accersire debeant, itemq; & Prælatum. Vbi uero Regula dicit: Ponatur senex sapiens, uolunt patres huiusmodi deligendum ad custodiam portæ, non solum esse senem, quo ad annos, uerum etiam quo ad mores, & rerum agendarum experientiam. Denique præcipiunt, ut sanctissimum hoc capitulum Regule in omnibus obseruetur. Cæterum occasione quorundam uerborū eiusdem Regule, quoad fabricationem domorum, sanxerunt Patres, ut nullus prælatus, absq; consilio seniorum audeat, uel antiqua ædificia destruere, uel noua fabricare ullo pacto. quod si velit membrum aliquod notabile construere

re, ut puta claustrum, Dormitorium, aut Refectorium sine Bibliotecâ, uel Tiocinium, & huiusmodi, non possit id facere, nisi (ultra consilium seniorum) licentiam quoq; specialem habeat à Reuerendissimo P. Generali. Qui eam minime tribuat, nisi prius admonevit, ut talia ædificet, quæ modestiâ religiosam deceant. Et sibi monstretur à prælato, & patribus, quibus nam sulti pecunijs id attentare præsumant. Quoniam docuit experientia, non nunquam Prælatos quosdam, nimio ædificandi desiderio, Monasteriorum facultates, ac bona fere omnia consumpsisse. Quoniam uero persæpe contingit Prælatum aliquem, opus aliquod inchoare, et illo infecto abire, ne is qui postea in officio ei subrogatus fuerit, possit ad libitum, inchoatum iam opus, & edificium diruere, & aliud suo Marte, erigere, cum dispendio Monasterij, & scandolo plebunq; laicorum, præcipiunt, ut antequam fabrica aliqua notabilis incipiatur, fiat de illa typus de consilio peritorum, ac Reuerendissimi P. Generalis, à quo subinde nulli recedere liceat, sed ea omnino forma, quo ad substantialia, seruetur ab omnibus. Qui uero huic ordinationi contraire præsumserit, pæne Grauiori culpæ debitæ subiacebunt. Et Prælati etiam quandoq; deponi ad arbitrium Reuerendissimi Patris Generalis seu Definitorum poterunt: & omni dignitate, iuxta criminis qualitatem, priuari.

Ut autem Oslarij, onere introducendi laicos, per singulas horas, intra clausuram Monasterij, gratia alloquendi camerarium, non grauentur, curabunt.

bunt Prælati quantocius iuxta portam Monasterij, & extra clausuram erigere (si iam non est) domum, & officina ipsius Camerarij, ad quam eū conuenire poterunt, citra inquietudinem fratrum quicumque ad illum negocia habebunt.

In illis autem locis, in quibus est consuetudo admittendi, diebus festis, laicos intra claustrū, & uiridarium nostrorum Monasteriorum; quoniam difficile esset sine scandalo eā ammouere, permittatur. Caueant tamen fratres, illa hora, à uagatione, per Monasterium, & qui ex obedientia aut de licentia prælati cum illis laicis exire compellentur, meminerint modeste ac religiose in omnibus se habere, et parum omnino, ac prudenter, & non nisi de ijs, quæ Dei sunt, cum illis loqui. Prælati uero non nisi eos, qui bene morigeratos, ac prudentes nouerint, cum laicis associare curabūt. Solita elemosinæ, que in nostris Monasterijs, secundum ueterum consuetudinē sunt, distribuuntur ab ostiarijs cum omni discretionē, & charitate. Et licet uelint patres, ut nunquam (si fieri potest) pauper dimittatur uacuus; attamen ubi non omnibus re ipsa satis fieri posset, saltem bonis, & consolatorijs uerbis pauper dimittat. Meminerint tamen Prælati inter principalia legis christianæ bona, elemosinas numerari: maioresq; nostros sibi ipsis uictui necessaria abstulisse, ut Christi pauperibus erogarent, imo ipsi Christo, qui dicitur est nobis in die illa tremenda, Esuriui, & dedisti mihi &c.

DE FRATRIBVS IN VIA
directis. Cap. LXVII.

Dirigendi fratres in via, omnium fratrum vel abbatis orationi se commendent, semper ad orationem ultimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat. Reuertentes autem de uia fratres, ipso die, quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorij, ab omnibus petant orationem propter excessus: ne quid forte surreperit in uia uisus aut auditus malæ rei aut ociosi sermonis. Nec præsumat quisquam alijs referre, quæcunque extra monasterium uiderit, aut audiuerit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumperit, uia dicitur regulari subiaceat. Similiter & qui præsumperit claustra monasterij egredi: uel quocunque ire, uel quippiam quamuis paruum sine abbatis iussione facere:

VT autem id quod præcipit D. P. Benedictus hoc loco, facilius obseruetur, ordinarunt antiqui Patres, ut in orationibus secundis, quæ dicuntur in officio Virginis, ad horam Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam dicerentur & illa uerba (licet etiam alium sensum habere possint). Et iter famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone &c. Quoniam autem nunc frequentius itinerantur, fratres ex causis iam toties repetitis, nec facile possunt se fratrum omnium orationibus ita solemniter commendare. Idcirco contentantur Patres, ut uice solemnibus illius commendationis, qui breue iter accepturi sunt, dum accipiunt à prelato benedictionem, dicant. Benedicite & orate pro me. Id enim permittitur à Regula dum dicit.

Vel

Vel Abbati in longis uero peregrinationibus, se comendent totius conuentus præcibus, ut in regula. Quantum uero ad comendationem, quæ fieri debet secundum regulam in reditu ex itinere, uolunt Patres, quod is, qui foras ultra numerum quindecim dierum moratus fuerit, regressus, prima feria sexta, dum culpa audiuntur in capitulo, dicat & ipse culpam suam hoc pacto. Dico etiam meam culpam de omnibus excessibus, & erroribus in hoc meo proximo preterito itinere à me comissis, ignoranter, uel scienter, & precor uos pro me orare. Qui uero hoc facere omiserit, toties, quoties, comedet in medio refectorij in solo pane, & aqua,

Ubi dicitur. Nec præsumat quisquam alijs referre &c. Præcipiunt Patres Prælati omnibus & singulis, ut regulam in hac parte inuiolabiliter obseruari faciant, & eos quos transgressores inuenerit, qui uidelicet audita, uel uisa in itinere, e quibus scandalum pusillis oriri posset, narrauerint: grauitèr puniantur. Ubi item dicit Regula. Similiter & qui præsumpserit &c. antiquissimam & sanctissimam consuetudinem non egrediendi extra clausuram Monasterij, sine expressa licentia, & benedictione prælati, ad memoriam omnibus nostræ congregationis Monachis, ac fratribus Patres reducunt. Itaq; sub pœna fugitiuis debita (iuxta tamen declarationes supradiçtas) præcipiunt, ut nullus egredi extra Monasterium præsumat, nisi facta sibi à prælato facultate, & benedictione data. Quam sane benedictionem regredientes

dientes pariter de itinere, quamprimum accipere ab eodem Prelato, uel eo absente à maiore domus teneantur sub usdem pœnis. Caueant uero maxime fratres, ne iter aggrediãtur, aut equitẽt, diebus festis ab ecclesia præceptis. Quod si aliqua ugens necessitas eos coegerit, tum non nisi celebrata, uel audita Missa, uadant.

In itinere autem meminerint se esse Monachos ac Dei famulos, & idcirco non agitent superbe, & vaniter equos, non eos cursitare faciant: non ipsi elatis incedant supercilijs, non deniq; cantilent more laicorum, maxime ubi audiri ab aliquibus possent, sed modeſte, grauiter, & cū silentio: orando uel psallẽdo, uel de rebus sanctis loquẽdo, iter ceptum prosequantur. In hospitij uero meritõs, si quando eos in eis morari contigerit, cameram sibi assignari ab hospite faciant, ibiq; maneat ab alijs semoti, ibi comedant, ibi Canonicas horas deuote persoluant, & sint omnibus probitas, ac sanctitatis exemplar.

SI FRATRI IMPOSSIBILIA iniungantur. Cap. LXVIII.

SI cui fratri aliqua forte grauia, aut impossibilia iniungantur, suscipiat quidem inobediens imperium cū omni mansuetudine, & obedientia. Quod si omnino uirium suarum mensuram uiderit pondus excedere, impossibilitatis suę, causas ei qui sibi præest, patienter & opportune suggerat, nõ superbiendo, aut resistẽdo, uel contradicendo. Quod si post suggestionem suam, in sua sententia Prioris imperium perdurauerit, sciat inuicem ita sibi expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei obediat.

Professio deuoti Monachi, & sancta humilitatis virtus, iure suo exigunt, vt subditus, quam primum, audito sui prelati precepto, immo & nutu perspecto, ad obedientiam se accingat. Vbi uero quidpiam sibi, quod supra vires videretur, preceptum fuerit, poterit se modeste, & humiliter excusare, rationem impossibilitatis adducendo. Quod si tum etiam prelatum in opinione sua persistere videbit, patienter impositum sibi onus accipiet, ac pro uiribus exequi curabit. At qui prelati summopere curare debent, ne de eis dici iure merito possit, quod de phariseis quondam seruator noster predicauit (vbi etiam dictum est in capitulo de qualitate Abbatis) alligant onera grauia, & importabilia in humeros subditorum, digito autem suo nolunt ea mouere. Meminerintque, se patres, ac Pastores esse, non autem tyrannos, uel carnifices. Blande igitur imperent, ac discrete; Et ea tantummodo filiis ac fratribus suis precipiant, quae possint vultu hilaris, & pro uiribus adimplere. Qui uero ab indiscretis prelati, se grauari supra vires persenserint, in uisitacione de hoc apud patres conquerantur; & si opus fuerit, etiam apud ipsum Definitorium, per litteras tempore Capituli; ut sic discant Prelati mitius cum sibi subditis agere. Maiores uero prelati, tales, in subditos suos in humanos, ac feros ab omni dignitate, ac prelatura absolueri debent, immo de iure tenentur. Cum enim a supremo omnium pastore, qui dixit. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, tam insigniter degenerent, indigni uidentur, qui animabus, eius precioso sanguine redem-

demptis, præsent, & imperent. Quantum ad prælaturas, dignitates, & gradus: licet possit qui libet renunciare favori suo, nolunt Patres, ut ne mini liceat renunciare prælationibus, aut recusare dignitates, sibi a patribus traditas nisi ob aliquam ex sex causis, quæ habentur in Decretal. Diui Gregorij lib. primo. Cap. Nisi cum pridem de Renunciatione, per totum.

VT IN MONASTERIO NON

Præsumat alter alterum defendere.

Cap. LXIX.

Vnimopere præcauendum est, ne quauis occasione præsumat alius alium defendere monachum in monasterio, aut quasi tueri, etiam si qualibet consanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id a monachis præsumatur quia ex inde grauissima occasio scandalorum oriri potest. Quod si quis hæc transgressus fuerit acrius coerceatur.

Quantum ad presens capitulum, tam & si perbreue est, nihil hominus, est multa consideratione dignum: quoniam nihil magis perturbat pacem, & scandoli occasionem præbet, quam uidere impios, ac improbos exaltari, tueri, atque defendi. Itaque cum quis à Prælato iure corripitur, eius amici uel fratres, non solum publice, & coram præsule eundem corrigant, uel saltim iuste correptum, et emendatum à præposito nutibus, & signis ostendant: uerum etiam priuatim ipsum admoneant, & hortentur, ut humiliter penam subeat, quam prælatus,

non odio, uel liuore; Sed amore, & pietate ductu
 ei iniungendam iudicauit. Cum uero nouerint
 Prælatum aliquem iniuste corripere, ob informa-
 tiones falsas sibi de illo factas publice, & coram
 alios, nullo modo præsumant ipsum de iniustiti-
 a arguere; nec iniuste correpto ansam aliquam supe-
 biendi, uel respondendi Prælati tum præbeant
 sed postmodum priuatim curent, ut Prælati ren-
 diligentius cognoscat, & ueritate perspecta, inu-
 centem absoluat.

UT NON PRAESUMAT QVIS
 quam aliquem passim cedere aut exco-
 municare. Cap. LXX.

UT vitetur in Monasterio omnis præsumptionis nec-
 sio. Ordinamus, atque constituimus, ut nulli li-
 ceat quemquam fratrum suorum excommunicare, aut
 cedere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Pecc-
 tes autem coram omnibus arguantur, ut ceteri meriti
 habeant. Infantibus uero usq; ad quintum decimum
 annum ætatis, disciplinæ diligentia sit, & custodia ad-
 habeatur ab omnibus, sed & hoc cum omni mensura
 & ratione. Nam in fortiori ætate, qui præsumpserit ali-
 quatenus sine præcepto Abbatis uel in ipsos infantem
 sine discretionem exarserit, disciplinæ regulari subia-
 ceat, quia scriptum est. Quod tibi non uis fieri, alij ne
 feceris.

Cum superius in declaratione capituli Regu-
 læ vigesimiquinti, nos incidenter, & perfun-
 ctorie de pœnis, quas subire debent, qui in fra-
 tres conuitia dixerint, uel eos percusserint, locu-
 ti fuerimus: opere præcium est, ut hoc in loco la-
 tius

vus de ijs differamus . Declarando itaque hunc
 locum regule, ita Patres ordinarunt, quod si duo
 fratres aequales inuicem verbis iniurijs conten-
 derint ambo puniantur ieiunijs panis & aquæ in
 medio Refectorijs, iuxta qualitatem delicti: & il-
 le magis qui magis cõmeruerit . Si autẽ iunior, se-
 niorẽ verbis cõtumeliosus affecerit, vt puta sim-
 plex frater Diaconũ, aut Magistrũ Nouitiorũ,
 vel Subpriorẽ; puniatur grauius, et saltẽ per quin-
 decim dies cameram propriam pro carcere ha-
 beat, & qualibet sexta feria in solo pane, et aqua
 dum sic clausus manserit, ieiunet . Et si verba fue-
 rint infamatoria, & in publico prolata, pœna hu-
 iusmodi duplicetur . Si vero (quod Deus auertat)
 Prelatum suum, verbis huiuscemodi uituperosis
 quispia, etiam prouocatus, aggredi vllõ pacto præ-
 sumpserit, carceri per mensem ad minus mancipetur.
 & qualibet feria quarta, & sexta disti men-
 sis in solo pane & aqua ieiunet . Denum in capi-
 tulo coram omnibus culpam suam dicat, & ueniã
 petat ab ipso Prelato, & fratribus, quos verbis
 suis ita imprudenter scandalizauit . Si autem duo
 fratres inuicem rixantes, pugnis se inuicem per-
 cusserint, citra sanguinis effusionem, ac fractu-
 ram membrorum; per mensem in proprijs cel-
 lis, vice carcerum recludantur . Si uero fuste,
 aut baculo, aut cum sanguinis effusione, duplicetur
 pœna, & addantur ieiunia panis, & aquæ,
 feria quarta & sexta.

Si quis autem citra rixam, aut subitam bi-
 lem, sed solo odio, ac liuore quempiam ligno,

pugnis vel lapidibus percusserit, sine tamen sanguinis effusione, & fractura ossium: per duos menses carceribus mancipetur: & qualibet feria quarta, & sexta dicti temporis in solo pane, & aqua ieiunet: si vero cum effusione, aut fractura aliqua, dicta pœna duplicetur. Si quis vero quempiam, cum gladio, quem de more ad latus deferre consueuimus, pro seruitio mensæ percusserit, cum sanguinis effusione, citra tamen necessitatem decumbendi in lecto, per sex menses carceri addicatur, si vero cum armis, quæ a religiosis deferri non consueuerint, quamquam minima fuerit sanguinis effusio, ac tutum carceri damnetur, ad minus per annum: uel si crimen id exigere videbitur per tres annos. Et insuper in dicto tempore qualibet sexta feria ieiunet pane, & aqua. Qui uero Prelatum suum aliquo dictorum modorum percussere, aut ferire ausus fuerit, pœnis supradietis duplicatis, puniatur, & ante xv. annum à dicta percussione, nullam dignitatem, aut prælaturam in nostra Congregatione consequi valeat. Si autem (quod Deus Opt. Max. omnino auertere uelit) Monachus aliquis alium occiderit Monachum, scienter, ac dedita opera, talis occisor carceri perpetuo adiudicetur, ibiq; in ieiunijs, & orationibus peccatum suum defleat, nec possit ullo pacto liberari, nisi forte post vigesimum annum de consilio, & consensu Definitorum. Qui uero aliquem percussere attentauerit, etiam si effectus postmodum sequutus non fuerit, nihilominus seuerè puniatur iuxta animi affectionem.

Si percussor, & percussus ambo fuerint conuersi, uel Clerici, modo supradicto puniantur. At si conuersus Clericum percusserit, pœne supradictę duplicentur, iuxta percussioneis grauitatem. Et si percussus notabilem occasionem percutienti, seu percussori dederit ultra percussiones receptas, & ipse aliqua etiam pœna puniatur.

Notandum uero quod culpas, quę pœnã carceralem, ultra sex menses exigunt, Prælatus solus minime sententiare potest, sed ad Reuerendissimum Patrem Generalem, & Visitatores referuatur. Similiter in causis, quę ad ipsum Prælatum attinerent, non potest ipse sententiare, sed Patri Generali talis sententia referuatur. Sed interim Monachus, si id res exigerit à Prælato de consensu seniorum carceri mancipetur. Cæterum non admittantur excusationes eorum, qui dicerent se gratia defensionis proximum percussisse, nisi id legitime comprobauerint, ut puta, quia cum fugerent, ab ipso persequente inter angustias detenti, nullũ alium refugium habuerint, nisi percutere uolentẽ, repercutere. Similiter puniatur etiã Prælatus, si quempiam aliquo modorum supradictorum percusserint. Non tamen id intelligi debet, dum Magister Nouitios, seu Prælatus iuuenes, gratia correctionis aliquando discrete, & charitatiue corripuerint.

Volunt etiã Patres, ut murmuratores, & maledici grauitè à Prælatis puniantur, tum præsertim, cum murmurando uelut infames, falsa protulerint. Prælati uero ipsi omnem dabant operam

ne quid de ipsis vere murmurare queant.

Super illud verbum, Præsumpserint, quod est in principio capituli, præcipiunt Patres, ut nemini comportetur, ut plus audacia & authoritati sibi vendicet, quam oporteat. Etenim aliqui repertiuntur, qui in omnibus, & de omnibus negocijs se intromittere uolunt, & Magistrum agere, quod sane arrogantiam, ac superbiam sapit. Sunt enim huiusmodi, quam primum coercendi, & admonendi, ut sibi dumtaxat attendant, ac inuigilent. Super illud uerbum Excommunicare. Præcipiunt Patres, ac uolunt, ut omnino imprecatores malorum puniantur. neq; enim decet Religiosos dicere; vade in malam Crucem. infelicem tibi annunciet Deus. Vade nec amplius reuertaris. Abi mœcollum, ne dum tibi tibi frangatur, & huiusmodi qua non nisi homines plebei, ac stulti & mulierculæ usurpare uidentur.

Prælatos quoq; admonent, ut caueant in sermonibus suis, tam in capitulo, quam extra, à uerbis, quæ possent pacem perturbare, & non nisi amaritudinem, & displicentiam afferre fratribus. Neminem contemnant; omnes enim ad imaginem Dei conditi sumus, & eius præcioso redempti sanguine. Nulli ignobilitatem suam, uel paupertatem in seculo, uel delicta parentum, uel huiusmodi alia impropere: quandoquidem ab vno omnes patre, Adam, originem trahimus, & ipse quoque Dei filius pauperrimus fuit; & pauperes in hoc mundo elegit.

VT OBEDIENTES SINT SIBI
Fratres inuicem. Cap. LXXI.

Obedientiz bonum, non solum Abbati exhibendū est, sed etiam sibi inuicem obediant fratres, sciētes per hanc obedientiz viam, se ituros ad Deum. Pre-
missio ergo Abbatis, aut Præpositorum qui ab eo cons-
tituuntur imperio, cui non permittimus priuata im-
peria præponi, de cætero omnes iuniores Prioribus
suis omni charitate, & sollicitudine obediant. Quod si
quis cōtentiosus reperitur, corripitur. Siquis autem
frater p̄ quauis minima causa ab Abbate, vel a quocū-
que Priore suo corripitur quolibet modo, vel si leui-
ter senserit animum Prioris cuiuscunque contra se ira-
tum, vel commotum quamuis modice, mox sine mora
tandiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat sa-
tisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa cōmo-
tio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali
vindictæ subiaceat, aut si contumax fuerit, de Mona-
sterio expellatur.

Quamuis forsā alicui videatur capitulū hoc
Regulæ superuacaneum esse, cum satis su-
perq; in superioribus capitulis de obedientia dis-
sertum sit: re tamen uera, res se aliter habet.
Considerans nanque Diuus Pater Benedictus,
quod ille solæ actiones apud Deum meritoria exi-
sunt, quæ eius gratia, & amore fiunt: quod-
que virtuosi minime dici debent, qui non ob amo-
rem virtutis iusta operantur, sed aliquo alio fi-
ne, non recto, ut puta, ob inanem Gloriam, Adu-
lationem, Vanitatem, spem rerum temporalium,
& huiusmodi: Volensque obedientiam nostram
amore Dei, & non personarum intuitu, opus
s̄ iij suum

suum peragere, præcipit quod non solum Abbati, & superioribus obtemperemus, verum etiã alijs humilitate, & charitate id suggerentibus. Præcipiunt itaq; Patres, ac volunt, quod Monachi nostra congregationis imprimis obedientes sint Prælati, tanquam Dei vicem agentibus: post senioribus, deinde vero se se inuicem charitate, & obsequijs præueniant.

Ut autem omnis vitetur abusus, & omnis scandali occasio tollatur, prohibent, ne quis præsumat Nouitios, qui sunt sub cura Magistri vlllo pacto alloqui, uel eis quidpiam præcipere quantumcũq; minimum; quoniam huiusmodi adolescentes, non nisi à Prælato, & Magistro proprio, corrigi, instrui, ac regi debent; Et qui huic ordinationi contrafecerit, ad arbitrium Prælati grauitè puniatur: & Nouitius si fuerit in culpa, à Magistro. Quoniam uero in non nullis Monasterijs damnandus abusus subrepsisse videtur, nimirum quod Magistri Nouitiorum, cum eis adolescentium cura demãdata fuerit, grauate ferũt, ac iniquo animo, q̃ Prælati eos alloquatur corrigat, vel aliquando eis quidpiã præcipiat: omnino hunc tollere volentes, declararunt Patres, Prælatum, omnium, tam seniorum, quam iuuenum, ac Nouitiorum, communem Parentem, ac pastorem esse. Omnesq; alloqui posse, cum ceterisq; præcipere, ubi & quando ei libuerit: ac propterea, nec Magistros Nouitiorum nec alios quosuis inferiores, ac priuatos Monachos, iure posse illos super his redarguere, aut aliquo pacto reprehendere. Nihilominus Prælati,

nisi

nisi *urgens aliqua occurrat necessitas, eorum curam ac regimen Magistris ad id deputatis relinquere contenti sint. Qui Magistri diligenter ipsos in omnibus instruant, ut iam dictum est: nec unquam permittant eos solos extra Tirocinium exire, nec cellam aliquam cuiusvis alterius professi ingredi sub pena priuationis ab officio, & ab omni alia dignitate, per annum. Vbi in regula dicitur. Si quis autem frater. Præcipiunt Patres, ut secundum veterem consuetudinem, cum quis à Prælato de quavis re, etiam minima reprehenditur, siue priuatim, siue publice; statim genuflectat, & sic capite demisso maneat, quousque Prælatus eum Benedixerit, ac surgendi signum fecerit. Ita enim famulus ille Dei, Benedicti vestigijs se pronoluit, qui ob acceptas mappulas à sanctimoniali femina, increpabatur ab eo Presertim vero sic correptus à Prælato maxime in publico, summo opere caueat, ne verbuculum quidem respondeat, nisi interrogatus, & tunc cum modestia, & reuerentia. Quod si grauatum se quisque sentiet, liceat ei postmodum Prælato priuatim in cellam conuenire, & humiliter ab eo petere, ut rationes suas audire velit, & si id permiserit (quod sane facere debet) excusationes suas veras, & non simulatas, ac si coram Deo existeret, proferat. Et qui secus fecerint, grauitè ad arbitrium Prælati puniantur.*

Quoniam uero non nulli, quippe qui parum humilitati studuerunt, cum extra Monasterium egrediuntur uel reuertuntur, petendo benedictionem, non integre genuflectunt, sed potius aulicorum

more tantiffimè inclinant. Volentes huiusmodi ab-
 usum eliminare, præcipiunt Patres, ut in petiti-
 one Benedictionis tam Prælati, quam alij priuati
 Monachi, realiter inclinent, ac genuflectant; ita
 vt genua, terram ipsam attingant. Idq; omnes fa-
 cilis efficiant, si meminerint Prælatum (quemad-
 modum D. Pater supra in Regula dicit) Christi
 locum tenere, & qui huic ordinationi contrafecerit
 grauius puniatur.

DE ZELO BONO QVEM

debet Monachi habere.

Cap. LXXII.

Sicut est Zelus amaritudinis malus qui separat a
 Deo, & ducit ad infernum, ita est, & Zelus bonus
 qui separat a vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam
 eternam. Hunc ergo Zelû feruentissimo amore exci-
 ceant monachi, idest vt honore se inuicem præue-
 riant. Infirmittates suas siue corporum, siue morum
 patientissime tolerant, obedientiam sibi certatim im-
 pendent. Nullus quod sibi vtile iudicat sequatur,
 sed quod magis alij. Charitatem fraternitatis, casto
 impendant amore, Deum timeant, abbatem suum sin-
 cera, & humili charitate diligant, Christo omnino ni-
 hil præponant, qui nos pariter ad vitam æternam per-
 ducat. Amen.

Epilogando humilis Dei seruus Benedictus in
 hoc penultimo, ac breui capitulo suæ Regula,
 quæcûque superius dicta sunt, ac veluti sub oeu-
 lis omnia colligendo, quemadmodum, inquit, ni-
 mis zelus, ac inordinatus amor rerum subluna-
 rium nos separat à Deo, & ad inferna deducit.

ITA

Ita zelus bonus, & sanctus Dei amor nos separat a vitis; & ad ipsum Deum, aeternamque patriam perducit. Hic, inquam, sanctissimus zelus, Deum super omnia nos diligere facit, cor in celestibus semper tenere; supremam erga nos Christi dilectionem pre oculis iugiter habere: ad aeternam illam, ac superbeatam gloriam nunquam non suspirare: omnia mundi huius oblectamenta despectui habere, & pro nihilo ducere. Hic, hic sanctus amor edocet, quam miseram hic vitam ducant, qui demoni, qui carni, qui mundo, qui peccatis deseruiunt. Quantis undique erumnis premantur, qui legem Dei derelinquunt. Quam stultus, & uecors ille sit, qui spem suam in his caducis, ac transitorijs rebus collocat. & contra vero quam prudens, quam sapiens, & vere felix ille habendus sit, qui omnibus mundi rebus posthabitis, vni, ac soli Deo seruire satagit: Hunc amare iuuat, hunc diligere, hunc laudare, huic soli obsequi, ei uiuere, ac mori desiderat. Sanctus item hic amor, non suam, sed Dei gloriam, in omnibus querere docet, omnia credit, omnia sperat, omnia substat: diligit omnes, odit neminem, nulli nocet, iuuat omnes, cunctis bona exoptat; rogat pro omnibus, & in singulis denique; quae agit, non dominibus placere, sed Deo, totis viribus conatur. Hunc sanctissimum zelum cuncti homines amplecti deberent, praecipue uero Monachi, ac religiosi, qui veluti lucernae ardentes, ac super candelabrum Ecclesiae positi, laicos luce, doctrina, & uita exemplo illuminare debent,

quiq;

quiq; uti sal terre insipida hominum corda condi-
re, & ab omni contagio, & corruptione custodire
ac seruare deberent. Monachi igitur, qui hoc amo-
re, ac Zelo sunt præditi, inuicem se diligunt, bono-
rant, inuuant, ut Dei famuli, vt Christi mēbra: et al-
tera alterius onera, cū animi, tū corporis, libenter
portant. Vbi exulat hic sanctus amor, ibi confusis-
simam Babilonem est uidere; ubi uero regnat, non
nisi Paradisū inuenias. Donet igitur nobis Deus
hunc sanctissimum zelum, ut eū propter se, & pro-
ximum propter eum, diligere valeamus. Amen.

DE EO, QVOD NON OMNIS
obseruatio iustitię in hac sit regula
constituta. Cap. LXXIII.

R^Egulam autem hanc descripsimus, ut eam obser-
uantes in Monasterijs aliquatenus, vel honestatē
morum, aut initium conuersationis nos demonstre-
mus habere. Cæterum ad perfectionem conuersatio-
nis, qui festinant sunt doctrinæ sanctorum Patrum,
quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinē
perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo diu-
inæ auctoritatis veteris ac noui testamenti non est re-
ctissima... norma vitæ humanæ. Aut quis liber san-
ctorum catholicorum patrum hoc non resonat, vt re-
cto cursu perueniamus ad creatorem nostrum? Nec-
non & collationes patrum & instituta & vitæ eorū,
sed & regula sancti Patris nostri Basilij, quid aliud
sunt nisi bene uiuentium & obedientium Monacho-
rum exempla & instrumenta virtutum? Nobis autem
desidiosis, & male uiuētibus, atque negligentibus ru-
bor confusionis est. Quisquis ergo ad patriam cæle-
stem festinas, hanc minimam inchoationis regulam
descriptam, adiuuante Christo, persice, & tunc demū
ad

ad maiora, quæ supra comemorauimus, doctrinæ virtutumq; culmina Deo protegente peruenies Amen.

IN felices sane ñ sunt, & indigni, qui religiosi, & Deifamuli dicantur, quibus aspera, dura, & æfere intolerabilis videtur huius Regulæ disciplina. Cum D. P. Benedictus asserat in hoc postremo capite, se illam incipientibus dumtaxat edidisse. Qui nanq; ad perfectionem aspirant, non debent in ñs sistere, sed vltius progredi, & pro regula sibi assumere vitam, ac doctrinæ Sanctorum Patrum, qui penitus huic mundo mortui soli Deo in abditis solitudinibus vivebant: Itaq; qui in hoc, quasi Tirocinio uitæ spiritualis; diu versatus fuerit, & omnia, quæ hic Diuus Pater ponit, aduiguum seruauerit, si desiderio maioris perfectionis, ad sacram Heremum nostram ire voluerit, petita à patribus licentia, poterit. Attamen nullus hoc attentare præsumat, nisi prius virium suarum experimentum sumpserit. Etenim qui centum librarum pondus ferre nequit, multo minus poterit maiorem ferre sarcinam. Dedecus quoq; est manus ad aratrum ponere, & deinceps retro aspicere; ceptum nimirum propositum deserere. Et re uera summa imprudentia est, quod aliquis rem aggrediatur, uirium suarum metas excedentem: Siquidem ei, aut paulo post ab incepto desistendum, aut sub onere, succumbendum necesse est.

CONSTITVTIONVM
CAMALDVLENSIVM.
LIBER SECVNDVS.

PROHEMIVM.



*V*M electio Abbatum alio-
rūq; Prælatorum (vti iam di-
ctum est) hodie fieri nequeat,
quemadmodum tempore Diui
Patris Benedicti, quando vnū
quodq; Monasterium sibimet
leges condebat; nec erant sub vna congregatione
plura Monasteria, uti modo sunt; ordinarunt sum-
mi Pont. quod singulis annis, aut quolibet tertio
anno, iuxta diuersos congregationū ritus, in qua
libet Congregatione, supremus Magistratus crea-
retur: cuius partes essent distribuere Monasterio-
rum regimina, ac prælaturas. Cum itaq; supre-
mus hic Magistratus, quē nos uocamus DEFFINI-
TORIVM summā habeat authoritatem, & specia-
tim creandi Abbates, & alios Prælatos, qui Mo-
nasteria ex anno in annum regant; antequam ad
alia descendamus, opere præcium uidetur, decla-
rare, quo nam pacto ab vniuersa creetur congre-
gatione supremus iste Magistratus: deinde uero
dicemus quomodo reliquę dignitates, ac Prælatu-
rę inter Patres sint distribuendę. Sed vnum illud
premittam, nempe authoritatem hanc summam
Definitorię, non solum ex diuturna, & antiqua
consuetudine robur habere, verum etiam ex insti-
tutio-

tutione plurimum summorum Pont. precipue uero Alexandri Quarti, & Quinti, Calisti Tertij, Gregorij Noni, Pij Secundi, Sixti, Innocentij Octaui, ac demum Leonis Decimi. Qui motu proprio Priuilegia omnia, & indulta Eremo, et Congregationi, tam per Pontifices praefatos, quam per Imperatores, ac Reges concessa; nec non statuta, & ordinationes in capitulo Florentino super hoc edita, Apostolica auctoritate approbavit, & confirmauit; uti est uidere in ipsorum priuilegiorum initio, & praesertim .s. sexto cum sequentibus usque ad sextum Decimum inclusiue. Quae quidem priuilegia Leonis Decimi ab omnibus eius successoribus usque in hunc diem confirmata, & approbata fuere.

DE ELECTIONE CONVENTUALIS
& ijs qui ad capitulum venire tenentur. Cap. II.

Modus itaque creandi Definitorium, qui haecenus seruatus est in nostra Congregatione, & quae modo mandant Patres seruari inuiolabiliter, hic est. In primis omnes Praelati, qui scilicet habent ad minus numerum decem Monachorum professorum sub sua cura; quindecim, uel viginti dies ante capitulum, teneantur uocales omnes in unum post Nonam colligere, ut puta feria secunda, uel tertia paschatis sanctissimae Resurrectionis, atque eis intimare qualiter eos ibi in unum uocauit, ut Conuentualis de more creetur. Cuius sane partes erunt uniuersam Monasterij indigentiam

coram Reuerendo Deffinitorio exponere: quomodo item se habuerit, illo anno, Prælatus erga subditos: qui nam extiterint subditi erga Prælatum quonam pacto cultus Diuinus auclius fuerit: & quæ sit Monasterij dispositio circa temporalia. De niq; post adhortationem, breui oratione premissa, & inuocato spiritu sancto, cuius nutu cuncta reguntur; cuiusq; fiat de mane in Missa Tertie comemoratio, ponatur in vase seu sacco tot schedule, quot sunt nomina Monachorum, non sacerdotum deinde vnus eorumdem iuuenum, ad arbitrium Prælati, & de consilio seniorum extrahat schedulas duas e dicto vase; Et ij quorum nomina extracta fuerint, statim ante Prælatum (cui assistant hinc inde duo seniores) euntes genuflectant. Deinde coram omnibus tot schedule in vno sacco ponantur, quot sūt Monachi sacerdotes eiusdē Monasterij, in quibus schedulis scripta sint nomina eorum. Deinde vero in alio sacco ponantur totidē schedule albe, præter duas uel tres, iuxta numerum Monachorum in quibus Crux una signari debet. Notandum uero quod huiusmodi schedule, eiusdem esse debent papiri, quantitatis, plicaturæ, & ita bene clausæ ut legi non possint. His itaq; in hunc modum dispositis alter iuuenum, qui sorte extractus fuerat, educat singellatim schedulas nominum. Alter uero schedulas albas, & notentur nomina eorum, cui schedule cum Cruce contigerint. Cumq; omnes schedule cum Cruce extractæ fuerint, sumantur schedule nominum eorū, quibus Cruces contigerunt, siue due, siue tres fuerint,

vint, & ponantur in vno sacco omnes, cumque bene inuicem mixte fuerint, ab altero illorū iuuenū, qui erit minor natu, una illarum extrahatur, & ille cuius nomen scriptum erit in tali scheda, pro vero, & legitimo socio Conuentuali habeatur; eiq; plenam, & indubitatam fidem in ijs, quæ fratrum, & Monasteriorum nostrorum honorem, et utilitatem concernunt, Patres. Definidores ad bibeant. Huic necessitates suas Monachi exponant. Dent literas ad Definitorium, si quas habent; Comittant verbotenus, si quid habent. Hic in capitulo, cum representet omnes sui Monasterij fratres, uocem habebit in electione Definitorum: & cuncta Monasterij, ac fratrum particularium negocia fideliter ibi tractabit: secretissima tenendo, quæ sibi tradentur in scriptis, solis Definitoribus portanda, aut uerbo referenda, ex quorum relatione notabile scandalum posset oriri. Quod si contra fecerint, non possit eligi usq; ad triennium; & insuper ab ipso Generali etiam grauius, iuxta rei exigentiam puniatur.

Notandum vero quod in Conuentualem eligi non potest, qui uoce passiva, uel in genere, uel in illo actu speciali esset priuatus. Similiter si aliquis fratrum sciret quempiam sacerdotem, ob alium quemuis defectum non debere admitti ad talem electionem, potest immo uero debet illum detegere; uel in secreto ipsi Prælati, uel publice, si ei uisum fuerit: citra tamen odium, & indignationem aut passionem ullam: sed zelo tantum iustitiæ, & debito. Et in tali casu Prælati iudicet cum con-

filiis

filio seniorum quid agendum . Et si iustitia ita exte-
gere videbitur, uocet fratrem illum, & uerbis cō-
solatorijs rem illi exponat, hortans, ut pacifice ce-
dat . Si in aliquo Monasterio non essent iuuenes,
aut Nouitij ad extrahendas dictas schedulas, as-
sumantur unus uel duo fratres conuersi ad arbi-
trium Prælati, & seniorum . Qui uero conuentua-
lem aliter creare præsumpserint, tam Prælatus,
quam conuentualis in futuro capitulo, utraque
uoce careant . Et si aliquis Prælatus in huiusmo-
di Conuētualis creatione fraudem aliquam (quod
absit) comiserit, & fuerit conuictus, per triennium
omni dignitate, & prægatione, in pœnam sit priua-
tus: & talis creatio inualida sit, & nulla . Quo-
niam uero Conuentualis uniuersos sui Monasterij
representat, caueat Prælatus ne eum habeat in
itinere loco famuli, sed tanquam comitem . Ipse
autem Conuentualis officium suum fideliter, &
animose exequatur . Et si quid habet referre Def-
finitorio contra Prælatum, illud eidem Prælato
nullo pacto detegat, sub pœna carceris, per duos
menses, & ieiunandi qualibet feria sexta dicti tē-
poris in pane, & aqua . Nec Prægatus egreferat,
quod ipse Conuentualis suo munere diligenter uti-
tur, sed curet magis ita se gerere in suo Magistra-
tu, ut de eo non nisi bona referri possint ad capitu-
lum . Volunt præterea Patres, ut excludantur ab
huiusmodi electione, qui propter infirmitatem, se-
nectutem, uel aliud legitimum impedimentum, se
ante excusauerint, dummodo uideatur insuper,
quod ea die, qua huiusmodi debet fieri electio Præg-
latus

latus legat, ita vt omnes intelligant, hoc presens capitulū, vel legi faciat fratribus congregatis in capitulo, post Nonā. Deniq; suos Monachos Patres admonent, ne volentes capitulo scribere, in ordinatis passionibus seducantur: nec quadam animi facilitate, ne dicam lenitate, scribant; Sed Deū pra oculis habentes, ea quæ fuerint necessaria, & vilia suggerant patribus, cum omni honestate, & grauitate. Vt autem pax, & beneuolentia inter nos, quam maxime conseruetur, admonent Prælatos, & Monachos, vt nullo vnquam tempore queant, quis contra eos scripserit capitulo, vel ipsos in visitationibus accusauerit.

Electo autem Conuentuali, fiant à senioribus literæ testimoniales, siue credentiales, cum appositione sigilli ipsius Monasterij: fidem Generali & Patribus facientes de huiusmodi electione. Quarum quidem literarum tenor & forma sit huiusmodi videlicet Reuerendissimi Patres. Mittimus ad vos dilectissimum fratrem nostrū Dominū N. in conuentualē, secundū ordinationes nostras electum ab vniuerso conuentu & fratribus. Cui plenā & indubitā fidem in ijs, quæ fratrum, et nostri huius Monasterij vtilitatē concernunt, adhibere dignemini. Valet in Christo. Ex Monasterio nostro Sancti N. Die. Mensis &c. Et infra. Filij Monasterij San. N. Venire autē ad capitulū, teneantur, & debeāt nō solū Reuerēdis. P. Generalis, Visitatores, Prælati regimē habētes, et Titulares vt supra, verū etiā Rectores, qui, quouis nomine cēseant, in aliquo Monasterio, congregationis nostræ

principalem administrationem de mandato Definitorum, etiam sine titulo, habuerint. Similiter, & Monachus, qui ut supra electus fuerit socius conuentualis. Quod si aliqua rationabili, & legitima causa contigerit Prælatum, non posse venire, in tali casu mittat ipsum Conuentualem. Si vero & Prælatus, & Conuentualis, iustis causis essent impediti: tunc ipse Prælatus, et cõuentus tenentur mittere literas, tam bonũ congregationis, quam sui Monasterii concernentes, per vnum ex fratribus, de comuni consensu maioris partis Monachorum, seu per conuentualem propinquioris Monasterii.

Si aliquis Prælatus propter infirmitatem, aut aliam legitimam causam (habita licentia à Patre Generali, & Visitoribus) non veniret ad capitulum, permaneat omni modo (uti iam dictum est) in sua solita authoritate. Si vero, non habita licentia, ipso facto, die, qua omnes Prælatos absolui solitum est: authoritate, titulo, loco, regimine, & cura, quæ Prælati tenebant; se priuatum nouerit, pariter & absolutum, & cura omnis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus ad Priorem vel Subpriorem deuoluatur. Præter supradictos autem non præsumat aliquis cuiuscumq; Gradus, seu conditionis existat, venire ad capitulum, nisi habita prius à Patre Generali licentia. Quod si quis contrafecerit, non audiatur à Definitoribus: & eodem tempore capituli, ieiunet ter in pane & aqua, in Refectorio: & insuper per triennium non possit ad aliquam dignitatem, & gradum pro-

moueri. Si uero quis Prælatus causa manifeste infirmitatis uoluerit secum adducere unum ex fratribus, cōuersum, uel commissum pro sui obsequio, permittatur ei, cognita causa, à Patre Generali, & Visitatoribus. Si conuentualis solus sine Prælato uenerit ad capitulum, & id sua culpa acciderit, ieiunet bis coram patribus omnibus in Refectorio, & in terra, pane & aqua.

QVAE PER PRAELATOS AD
Capitulum sint deferenda. Cap. III.

Appropinquante tempore capituli, quilibet Prælatus, una cum suo conuentuali sic iter arripiat, ut feria sexta precedente Dominicam, in qua inchoari debet capitulum, uel saltim sequenti mane ante Missam Tertie, ad Monasteriū, & locum deputatum perueniāt; sub pœna priuationis actiue uocis, & passiuę in electione Definitorum: nisi forte aliqua urgente, & legitima causa fuerint impediti, aut licentiam retardandi a Reuerendissimo Patre Generali habuerint.

Itaq; in unum sic collecti fratres, mane sabbati, Chorum ingrediantur, et solemnissime cantetur Missa Beate Virginis Marię ab Abbate sancti Michaelis de Murano. Eodem die post Nonam, in loco solite residentię Patris Generalis, simul cōgregentur, una cum ipso Reuerendissimo, Visitatores, & Abbas Sancti Michaelis prædicti, ut Camerarius, siue Capsarius uniuersę cōgregationis. Ad quos sub inde ueniāt Prælati omnes, deferen-

tes extractū, vt dicimus, siue notam redditū, & expensarum suorum Monasteriorum. Et soluent iuxta numerum reddituum, pro quolibet centenario vnum; pro expensis necessarijs, quæ quotidie fiunt ad comodum ipsius congregationis. Si quis vero aut extractum non detulerit, aut in presentatione huiusmodi rationum, fraudem aliquam commisisse deprehensus fuerit, ad arbitrium Patrū Definitorum in eodē capitulo grauius puniatur, uel post capitulum, si tum res in lucem venerit, à Patre Generali, & Visitatoribus.

Soluto autem vno pro centenarij, proferat prælatus quilibet fidem à duobus senioribus sui Monasterij adminis, & à Patre Vicario Prouinciæ subscriptam, in qua habeatur, Prælatus ipsum deponuisse in capsâ sui Monasterij, suam ratam Quindennij, et quæ à suis predecessoribus ante reposita fuerat, seruasse, & in eadē capsâ vere, ac realiter reliquisse. Et quicumq; hoc facere contempserit, sit ipso iure, et absq; alia sententiâ, omni dignitate, et officio priuatus ad quinquennij. Eandem quoq; penam incurrere volunt, quicumq; dictam fidem falsificasset. Qui vero eam subscribunt, non credant simplicibus verbis Prælati, sed teneantur sub scrupulo conscientie, eam in capsâ videre, ac numerare. Quæ pecunia quindenniorū in absentia Prælati, nemo attingere præsumat. Et si ipse Prælatus ea vteretur in aliqua extrema necessitate, teneatur antequam ad capitulū pergat, eandem in capsâ refundere, sub pena priuationis vt supra. Teneantur etiā ijdem Prælati deferre secum ad capitulū

libellū Debitorū, & Creditorū Domus, & Monasterij sui cū causis eorū, ut de omnibus Patres Definitores informare valeant ac etiā suos successores in officio. Quod si quis hoc facere contēpserit aut fraudem in his conficiendis admiserit, careat voce actiua, & passiua in electione Definitorum. Ad officium etiā Prælatorū spectat petere licentias pro eis qui promouendi sunt ad sacerdotiū, si opus fuerit, & petere literas gratiosas pro Benefactoribus Monasterij sui. Cōuentuales autē ad capitulū fere teneantur, omni cū diligentia, literas fratrū, & suā pariter literam testimonialem, et si quid eis simile fuerit à fratribus demandatum.

DE ABSOLVTIONE GENERALIS
& aliorum Prælatorum ab omni regimine dignitate ac titulo. Cap. IIII.

His omnibus in sabbato ita peractis, die Dominico sequenti, cum maxima solēnitate cātabit Missā de Spiritu Sācto Reuerēdiß. P. Generalis, Diaconus erit maior Visitator, Subdiaconus vero Minor; In qua quidē Missa omnino prohibetur cantus figuratus, sed cantus dūt axat firmus, & organa ibidem resonent. Eodē pariter die Sacerdotes omnes priuatas Missas de Spiritu Sācto celebrabunt. Dicta sexta, omnes in Refectorium conueniant, vbi sub grauibus pænis precipitur, ne hac die, & alijs, durante capitulo, dentur nisi duo fercula, sine due piscantia. Nec desit sacra lectio de Homelia Euangely currentis.

T in Circa

Circa finem vero prandij, facto signo à Prælato, descendat, qui legerit e suggesto, & is qui sermonem latinum de more habiturus est, accepta benedictione, ascendat, & orationem suam recitet, quæ breuis esse debet; & circa ea quæ tractanda sunt eadem die, versari: antequàm vero recitetur, Pater Reuerendissimus, & Visitatores teneant eam, & alias similes videre, & audire.

Deinde, Noua dicta, ad sonum campanulæ Pater Generalis, Visitatores, ac Prælati omnes cum suis conuentualibus (qui omnes totum Capitulum faciunt, & representant vniuersam Congregationem) in capitulum veniant: ibiq; mentali prius oratione præmissa: Pater Generalis dicat *Ver.* Saluos fac seruos tuos. *Resp.* Deus meus sperantes in te. *Ver.* Esto nobis domine Turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Ver.* Nihil proficiat inimicus in nobis. *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. *Ver.* Domine non secundum peccata nostra facias nobis. *Resp.* Neq; secundum iniquitates nostras retribuas nobis. *Ver.* Mitte nobis Domine auxiliũ de sancto. *Resp.* Et de syon tuere nos. *Ver.* Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor meus ad te veniat. *Ver.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Oremus.*

Actiones nostras quæsumus domine aspirando præueni, & adiuuando prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur.

Famulorum tuorum quæsumus domine de
lectis

licis ignosce, vt qui tibi placere de actibus nostris non valemus: Genitricis filij tui Domini nostri intercessione saluemur.

Intercessio nos quæsumus domine Beatorum Patrum nostrorum Benedicti, & Romualdi comendet, vt quod nostris meritis non valemus eorum patrociniò assequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

His præmissis, & facta protestatione à Patre Reuerendissimo, de non admittendis, qui admitti non merentur, nec excludendis, qui excludi nõ debent ab electione Definitorum, sedente ipso Reuerendissimo in loco suo, in medio Visitorum, omnes Prælati genuflexi, seu in terram prostrati, humiliter, ac per ordinem culpas suas dicant, & renunciet suis dignitatibus, ac Prælaturis, in manibus ipsius Reuerendissimi, ac Visitorum. Vel si placuerit, antiquior Prælatus uice omnium aliorum, alta uoce culpam dicat, ac veniam petat, de omnibus negligentibus, renuncietq; modo dicto, prælaturis omnibus, ac officijs, ab eisq; petat absolui. Cumq; Pater Reuerendissimus renuntiationes factas acceptauerit, & absoluerit, ac absolutos pronuntiauerit Prælatos dictos ab omni eorum dignitate, & administratione, imponendo pro negligentibus salutarem pænitentiam, renunciet & ipse Generalatui stando in suo loco, coram Visitoribus sedentibus. Cumq; Visitores dictam renuntiationem acceptauerint, & absolutum pronuntiauerint, surgant omnes Prælati, & ad sua loca, secundum ordinem professionis illico petant, supra tamẽ Conuentuales.

DE ELECTIONE SCRVTATORVM.
Cap. V.

POST hac Pater Reuerendissimus, Visitatores, & quatuor ex senioribus, proponant singuli, et nominent secrete in aurem Patris Generalis, quos ille conscribat in cedula, vnum uel duos Monachos, hospites, vel eiusdem Monasterij, non Pralatos, neq; Conuentuales, qui per disquisitionem eligantur ad recipiendum scrutinium Definitorum: & horum tres, qui pluribus (vltra medietate) suffragijs nominati fuerint, pro veris, & legitimis scrutatoribus habeantur. Quod si nullus ex his, qui propositi fuerant, a pluribus (vltra medietatem) approbatus fuerit, & electus, his omnibus exclusis, alij denuo proponantur, et per disquisitionem eligantur, & sic deinceps, donec dictus numerus ternarius scrutatorum legitime habeatur. Et si fuerint aliqui pares in vocibus, praeferatur, qui maior est professione: His itaq; hunc in modum electis, & vocatis coram patribus, exponat eis Reuerendissimus praeteritus, quod sit eorum officium, & quid agere debeant. Praecipiatq; eis in virtute Sanctae obedientiae, ut impositum sibi officium fideliter exequantur: nec vnquam reuelent villo pacto, nec directe, nec indirecte, quot quis voces, aut fabas habuerit, nec aliud quid eorum, quae a patribus secrete tractantur, sub poena priuationis vocis vtriusque, per triennium. Quam poenam eos etiam incurrere volunt, siue pralati sint, si-

ne Scribæ, qui quidpiam eorum, quæ in Deffinitorio geruntur, reuelare presumpserint. Neque vero hoc loco tacendum putamus, quod qui voce passiva priuati sunt, ad nullam dignitatem, aut prelaturam in nostro ordine, quamdiu sic fuerint suspensi, eligi possunt.

Facta deinceps scrutatorum electione, et vasibus ad hoc preparatis, tot sacculi, ex ordine ponantur in vno, quot sunt illi, qui paulo ante prelaturis renunciarunt: Sintque huiusmodi sacculi nominibus eorum inscripti: In alia vero vna, seu uase similiter totidem sacculi ex ordine ponantur, quot sunt cõuentionales, et in singulis nomen vnus illorum scriptum sit.

DE ELECTIONE ET POTESTATE Patrum Deffinitorum. Cap. VI.

Post hæc residentibus, vt supra prescriptis Patribus, vnicuique tot fabæ albæ, & nigre dentur, quot sufficere possint ad huiusmodi electionem faciendam. Et demum Pater Generalis adhortetur omnes in Christi visceribus, ut velint in tanti Magistratus electione (sepositis passionibus, & affectibus proprijs) bonum sibi comune proponere, & Dei duntaxat Gloriam, & Animarum commodum vestigare. Quibus omnibus peractis, primus scrutator, accipiens sacculum Patris Generalis præteriti, ab vno quoque suffragium recipiat, sæpe repetens alta voce Reuerendus Pater Dominus N. vobis proponitur pro Deffinitore, si placeat.

Deinde

Deinde secundus scrutator, accipiens sacculum secundum, circumferat illum similiter, accipiendo fabas, & suffragia, pro illo Prælato, quem pariter nominet sæpius. Tertius similiter scrutator tertium sacculum deferat, & accipiat vota, & primus deinceps scrutator quartum sacculum, & sic de singulis. Delatis ergo omnibus, & singulis sacculis Prælatorum, bene clausi reponantur in propria urna, seu vase: & postmodum similiter sacculi Conventualium circumferantur eodemmet modo. Et his quoq; absolutis, & in proprio vase repositis: scrutatores (omnibus alijs licentiatis) soli remaneant, & apertis primum sacculis Prælatorum, et facta collatione numeri ad numerum, signent quot fabas nigras vnusquisq; Prælatus habuerit, incipiendo à sacculo Patris Generalis. Et illi sex qui ultra medietatem, plures fabas nigras habuerint, seorsum scribatur secundum professionem, cū hac superscriptione. **DEFINITORES PRAELATI.** Deinde, per ordinem aperiant sacculos conventualium, & facta similiter collatione fabarum, illi tres, qui ultra medietatem plures fabas nigras habuerint, seorsum ponatur cum inscriptione. **DEFINITORES CONVENTUALES.**

Quod si duo pariter, totidem votis eligerentur, si ambo fuerint Prælati, anteponatur qui maior est, secundum professionem. Similiter si ambo fuerint conventuales, maior secundum professionem sit Definitor, altero excluso. At si vnus Prælatus, et duo conventuales, iisdem votis peterentur. Prælatus primo admittatur, deinde conventualis,

qui

qui maior est professione, altero conuentali cedente. Quod si, vice versa, due Prælati, & unus conuentalis, paribus Votis concurrerint, conuentalis primo admittatur, deinde Prælatus maior secundum professionem, minore Prælato excluso. Verum sciendum, quod fabæ nigræ approbant, seu affirmant, ac petunt; albæ vero reprobant, negant & explodunt.

Sciendum item, quod si quis sacculus repertus fuerit plures fabas habere, quam sit numerus electorum, inanis erit talis electio, per fraudem factam. Quod si fabæ albæ, addite, vel subtractæ, nec damnum, nec utile afferunt, nõ propterea electio erit inualida. Vt puta, si quis vigintiquinq; fabis nigris electus esset Dēffinitor, & haberet per fraudem vigintiseptem, illę duæ, per fraudem addite, non propterea inualidam reddunt electionem. Et sic de similibus.

Item sciendum, quod non possunt eligi in Dēffinitores, ij, qui ob aliquid flagitium carceri mancipati fuerint, nisi a patribus denuo habitati fuerint, ad huiusmodi munera obeunda. Immo vero, nec prælatras alias, tales sine dispensatione obire possunt.

Item sciendum omnibus est, quod ex constitutione à duobus iam Dēffinitorijs approbata, & auctoritate etiam num Apostolica confirmata, non possunt eligi in Dēffinitores plusquam duo professi eiusdem Monasterij, siue sint Prælati, siue Conuentuales. Non tamen id intelligi debet de Patre Reuerendissimo Generali, qui ratione offi-

cij, vniuersalis persona censetur. Quare, si plures, quam duo eiusdem Monasterij in Deffinitores electi essent, duo Priores, qui scilicet plures voces habuerint, preualeant, alijs cedentibus.

Item notandum, quod si quis ambitiose, ac fraudolenter seducendo aliquos, hunc sibi Gradum subriperit, omni dignitate; perpetuo carere debet. Deffinitoribus itaque hunc in modum creatis: denuo ad sonum campanula vocentur Patres in capitulum, & omnibus sedentibus, primus scrutator à cepta benedictione à Patre Generali, alta voce legat, & pronunciet, primum Deffinitores Prælatos: Deinde Conuentuales.

Sed antequam ad alia progrediamur, sciendum est, quod ad officium Deffinitorum pertinet cuncta in capitulo occurrentia, atque de congregatione disponere: quod tempore capituli, ipsi Deffinitores omnem representant cōgregationem: quod que, ipsis electis, intelligitur omnis à capitulo, & patribus vniuersis, tributa potestas. Idcirco omnia que fuerint, per ipsos in capitulo diffinita, iuxta privilegiorum nostrorum tenorem, inuolabiliter obseruentur ab omnibus Prælati, & fratribus nostre cōgregationis, cuius cūq; gradus seu cōditionis existant.

DE HIS QVAE AGERE DEBENT

Patres Definitorum, immediate post eorū creationem: & de electione Praesidentis Definitorij, Scribae, & aliorum. Cap. VII.

MOx abeuntibus Monachis ad propria, Definitorum in loco solitae residentiae adunati, & sedentes secundum ordinem professionis: primum semper locum tenente Reuerendissimo Patre Generali, qui semper esse debet, nisi aliquod notabile esset impedimentum, vnus ex Patribus Definitoribus: eligant per fabas, vnum e gremio illorum, qui sit caput, & Praesidēs Definitorij, & ipse (nisi adsit ut supra legitimum aliquod impedimentum) iuxta consuetudinem hactenus seruata, esse debet Reuerendissimus P. Generalis praeteritus. His peractis, ut omnia cum ordine fiant, creent Patres Definitorum Economum spiritualem, qui primum locū post Definitorum teneat cum ea auctoritate, quam quilibet Praelatus in suo Monasterio habere solet. Huius erit in primis curare, quod officia Diuina congrue celebrentur; ordinare qui debeant singulis diebus, Missas canere, qui debeant illis ministrare; sollicitare fratres ad frequentationē chori; statuere quibus horis refectio sumi debeat, licentiare fratres, ut extra Monasterium vadant, pro necessariis Domus, & alia huiusmodi facere, quae solet Praelatus in suo Monasterio.

CREANS

Creent præterea *Economum* temporalem, cuius officium sit providere necessaria, pro victu capituli. Deinde eligatur *Scriba*, qui omnes capituli actiones conscribat, quiq; plenus rimarum non sit, sed fidelis, prudens, & secretus. Siatq; per eum scripta, non minus roboris habere, quam scripta per scribam publicum, seu *Notarium*. Cuius quidem scribæ (qui debet elegi de numero *Prælatorum* vel *conuentualium*) sit officium, literas omnes capitulo presentatas, coram *Definitoribus* legere, & ea, quæ alicuius ponderis, aut digna examine conspexerit, in vno folio in modum *Memorialis* notare; ut postea, per *Definitores* examinentur. Sit etiam eius officium statuta, & terminata per *Definitores*, in *Registro* describere diligenter, & annotare. Scribi etiam faciat literas *Gratiosas*, pro *Benefactoribus* *Congregationis*, cum appositione sigilli, quas ipse subscribat. Licentias quoq; vendendi, seu quo vis titulo alienandi, per *Definitores* concessas, scribat, vel si scribi faciat, ipse subscribat, & signet. Eius quoq; partes erunt respondere literis ad *Definitorium* directis, & dare copiam *Constitutionum*, eodem capitulo factarum. Et si opus fuerit, detur ei *coadiutor*. Et demum in *absolutione* capituli publice, & coram omnibus, vt infra dicetur, perlegat omnia acta, statuta, & terminata ac definita per ipsos patres *Definitores*.

Deinde, eadem sessione, instituantur tres: *Hostiarii*, qui semper adsint ianua *Definitorii*. Quatuor sub inde *Seruitores* mensæ, & *Lector*. Qui omnes intra *Definitorium* vocati, a *Præsidente* instruuntur

Arvantur, circa eorum officia. Similiter à patribus tres Computiste eligi debent, ad quos attineat in supradictis extractibus rationes Monasteriorum, reddituum videlicet, & expensarum, diligenter inspicere, & examinare, & postea relationem facere coram patribus Deffinitoribus, citra personarum acceptionem.

DE ABSOLVTIONE VISITATORUM ab eorum officio. Cap. VIII.

SEquenti die, post celebrationē, uel auditionem Missarum, congregati in vnum Patres Deffinitores primum vocari faciant ad se Patres Visitatores, & ab ipsis audiant in primis diligenter, visitationes vniuscuiusq; Monasterij, tam Monialium, quam Monachorum: & postmodum dispositionem ordinis, ac Monasteriorum: quid viderint, quid intellexerint in suis visitationibus, quo instatu congregatio nostra sit posita; qui nã sint mores Monachorum; quanta obseruãtia, quæ fama de ipsis in populis habeatur, & huiusmodi. Qua relatione fideliter facta, renuncient & ipsi officium in manibus patris Præsidentis, & Deffinitorum, qui dictã renunciationem acceptando, pro negligentijs, de more, penitentiam eis iniungant.

Sed non videtur patribus, hoc loco silentio pretereundum, quod quemadmodum errant Visitatores, non considerando in Visitacionibus suis multa; quæ, & si non eis in actu uisitacionis dicuntur, tamen per aliam uiam sciunt, & intelligunt

gunt: nec referendo ea patribus Definitoribus: Ita etiam errat Reuerendissimus cum dissimulat, nec intelligere curat, quæ essent intelligenda, immo perquirenda ut neminem; contristet. Nec non, & Definitores aliquando similiter errant, aut difficiles se exhibendo in danda audientia, aut modicam fidem eis, qui aliqua referunt, adhibendo. Quare sequitur ut vitia à Patribus sine punitione, & emendatione relicta, plerumq; ab alijs cum dedecore Religionis, & multorum scandalo puniantur. Idcirco Patres obsecrant, ac in Christi viscibus monent Generales, ac Visitatores omnes, qui futuris temporibus erunt, ut omni cum diligentia exequi curent eorum officium, quod sane maioris est momenti, quam multi forsan arbitrantur: & minutatim singula Definitoribus referat, quæ in suis visitationibus cognouerunt. Ipsi vero Patres Definitores quecunque eis referuntur, mature considerent, & nihil parui pendant, quoniã per sæpe parua scintilla, quæ modico labore exstingui poterat, neglecta, in ardentissimam, et penè inextinguibilem flammam subcreuit. Sciãtq; verum esse illud propheta, multa nimirum parua, & humilibus plerumq; reuelari, quæ magnis, & sapientibus denegantur.

DE PRAELATORVM, ET CON-
uentualium examinatione. Cap. VIII.

Proinde licentiatis Visitoribus, Patres Definitores perlegant literas, ad eos transmissas
suo

sue à Monasterijs, siue ab alijs : & si quid in eis erit, quod aliqua egeat discussione, uel consultatione, faciant scribam eius rei memoriale aliquod sumere, uti iam dictum est.

Mox audiant Prælatos, qui Monasteriorum curam gesserunt, inquirentes ab eis statum Monasteriorum, & dispositionem : quot habeant Monachos, quomodo se gerant in Dei seruitio, ac si pacifice uiuant. Post Prælatos autem, ingressus detur Conuentualibus, & singillatim examinentur de regimine suorum Prælatorum, qualiter se gesserint, tam circa cultum Diuinum, quam circa administrationem rerum temporalium : Utrum scandalum aliquod notabile contigerit in eorum Monasterio, & utrum id incuria, & negligentia Prælati acciderit : Quem Monachi desiderent habere in Prælatum, cum sit innouandus. Et similiter quem uellent esse Generalem, si esset mutandus. Præterea exponant ipsi met Conuentuales si quid habent dicere ex persona particularium Monachorum, quoad mutationes, & alia. Sed animaduertant quod, & si cuncta exponere habent, quæ, & bonum uniuersale concernunt, & peculiare suorum Monasteriorum commodum, non tamen debent se ipsos, ac Patres Desinitores, nugis, ac rebus nullius momenti tedio, ac molestia afficere. In medium itaque afferant, non defectus, ac imperfectiones, quæ quotidie, & passim in Monasterijs accidunt (has enim Prælati ordinarius corrigere, & emendare debet) sed si qua sunt consideratione

digna, ac tanti Magistratus animaduersione, ea denuncient, & inculcent. Qui vero falsum aliquod scienter retulisse deprehensus fuerit, contra Prælatum suum, vel alium quemuis, veluti insanis, ac monastico habitu indignus, grauius puniatur. Qui vero veraces, & Dei zelo ducti, in suis narrationibus inuenti fuerint, comendentur à Patribus & congruo tempore, dignis honoribus cumulentur. Ut autem Conuentuales prædicti libere, quæ habent, & sentiunt exponere coram Patribus valeant, præcipitur omnibus, & singulis Dessoribus, vt nullo vnquam tempore reuelare presumant, quæ viderint, & audierint ab ipsis Conuentualibus in loco solitæ residentiæ, & in Dessorio existentes. Et qui contrafecisse deprehensi fuerint cum ex officio fuerint egressi, grauius à Reuerendissimo Patre Generali puniantur, & per quinque annos, omni dignitate, & prælatura priuètur. Cum sane indignus merito censeri debeat, quocumque vel minimo Magistratu, qui audita sub secreto reuelare præsumit.

Statuerunt etiã Patres q̄ Prælatus, de quo factenda est examinatio si sit Dessor, exeat de capitulo. Similiter si quis Dessor habeat Prælatum sibi consanguinitate coniunctum; quando de illo Prælato fit examinatio, Dessor ille tunc exeat, nec presens sit in illa examinatione, & Conuentualis relatione. Conuentuales etiam Dessorum exeant capitulum, cum suorum Monasteriorum Prælati ingrediuntur examinandi. Habita igitur de omnibus informatione, notentur à scriba

ba, si qua reprehensione digna fuerint: & accersito eo (eum tempus erit) qui est reprehendendus, à Præsidente capituli interrogetur distincte, & seriatiim de sibi oppositis importantibus, ne inaudita parte, contra eum procedatur minus iuste. Et tandem audita eius responsione, Præsidentis eum, pro ut uiderit expedire, de consensu Patrum absoluat, vel moneat, corripiat, & puniat. Et similiter eum quocunq; alio si præsens fuerit procedatur.

Quam quidem correctionem, uel admonitionem uolunt Patres recipi cum omni reuerentia, & deotione.

Si uero per Conuentualem, aut quemuis alium relata fuerint aliqua, de quibus tunc haberi certa informatio non possit, dentur Generali, & Visitationibus, aut prouinciæ Vicario, ut examinent, & procedant, pro ut infra in capitulo de Visitationibus ordinabitur.

QUOMODO TERMINANDA expedire debeant Definitores. Cap. IX.

His itaq; peractis, in sequentibus sexionibus tertis, & quarta ferie, si tot negocia procedenti die expleta fuerint: Patres Definitores, nuncios, si qui ad eos missi fuerint, audient primum deinde reliquos omnes & priuatos Monachos, & Seculares, qui audiri ab eis expectent: & notari à scriba faciant, si quid eis adnotatione dignum delatū fuerit. Et hac seu sequenti die in refectorio, post lectionem mensæ, fiat, & habeatur oratio ab

eo, cui anno superiori iniuncta fuit: in qua tractetur de auctoritate, seu potestate iudicum, & Magistratum, seu de alia consimili materia. Nec Missa solemnis etiam his diebus intermittatur. Quod si Patres Definidores, ob multitudinem negotiorum, huiusmodi Missis interesse non poterunt saltem interesse velint, ac teneantur Missæ Anniversarij omnium Defunctorum congregationis, quæ cantari debet feria quarta. In quo die post Missarum celebrationem, deserviri, ac terminari solent, quæcunq; deservienda, ac terminanda sunt, pro observantia Regule, morum reformatione, & augmento maioris perfectionis in nostra congregatione. Quoniam autem iisdem diebus, pro transgressionum qualitate, pene delinquentibus iniunguntur, ut diligentius omnes à malo declinent, & bonum prosequi studeant; Declarant Patres, quod pene quæ à Patribus Deservitoribus iniunctæ fuerint, pro erratis Monachorum, nullo pacto neque in totum, neque in partem à quoque minui possint, nisi ab eodemmet Deservitorio, nemine discrepante. Volunt etiam Patres, Presidentem capituli, & Generalem semper, & ubiq; esse promotorem omnium causarum, & quod ipse teneatur inter Deservitores, tempore capituli & inter Visitatores, & alios, tempore Visitationum, quæcumque proponere, de quibus inter Patres fuerit tractandum: & super quibus ab aliquo Deservitorum fuerit requisitus. Omnia igitur, quæ notata fuerint, per Scribam, in medium deservienda, seriatim, & successively producat: &

inci-

incipiens à senioribus, & primis, vsque ad nouissimos sciscitetur uota uniuscuiusque: post quos omnes, per ordinem, consideratis omnibus dicat, & ipse sententiam suam. Si quem uero deprehenderit in dicendo prolixiores, & extra materiam uagari: moneat eum Praesidens, non tamen mordacibus uerbis, sed perbenigne, ut paucis exponat uotum suum, & ad rem pertinentibus.

Omnibus uero auditis, illa opinio in qua maior pars Definitorum per uota, fabas, uel uia uoce conuenerint, censeatur ab omnibus definita.

Et quoniam nolunt Patres, ut facile amodo fiant quotidie nouae ordinationes, & nisi maxima cum grauitate, & maturitate, & ex urgentissima causa: propterea ordinarunt: quod si quae amodo infuturum faciendae sunt constitutiones, postquam fuerint à Patribus Definitoribus formatae, uocatis omnibus Praelatis, coram ipsis singillatim, per scribam, aut cui Definitoribus mandauerint, legantur: & quae à duabus partibus dictorum Praelatorum, pari uoto approbate fuerint: Patres Definitores faciant publicari immediate, sequenti anno praticandas, & futuro proximo capitulo, modo quo supra, à duabus Praelatorum partibus approbandas, & confirmandas. Quae deinceps non ualeant, nisi eodem modo quo confirmate fuerant, reuocari, Definitores igitur sequenti anno expeditis alijs supradictis, legi faciant ordinationes praeteriti capituli, & iudicio duarum partium Praelatorum, uel approbentur, uel reuocentur:

V iij Quod

Quod si fuerint approbata, reuocari non possunt, nisi modo quo supra, & ex Nouē Definitoribus ad minus octo consenserint.

Post hæc audiant iidem Definitores à Computistis, qui viderint extractus, & expensas vniuscuiusq; Monasterij, quo in statu vnum quodq; Monasterium habeatur, & si quid est animaduersione dignum.

DE TAXIS ET SUBVENTIONIBVS

Cap. X.

Quo ad distributionem taxarum, quæ quotannis fieri solet, ob solutionem quartæ partis fructuum, pensionum, & aliarum rerum, volunt Patres vt post hæc, non casu vel ad beneplacitum fiat, sed considerate, & secundum quod iustum fuerit, ac rationabile. Itaq; diligenter consideratis cuiuscumq; Monasterij redditibus, & expensis, seu grauaminibus, fiat talis Distributio inter Monasteria, ad libram vt aiunt & solidum. Illud tamen animaduersione dignum hoc loco dicimus, non esse videlicet æque grauandum Monasterium, quod mille quidem aureorum redditum (exempli gratia) habet, sed longe maiores expensas: vt illud quod quingentorū dumtaxat aureorum redditū habens, longe tamen minores expensas, exitus habuerit, quam dicta aureorum summa sufflentare, ac pati posset: quandoquidem illud mille aureorum deficit in necessarijs, istud vero quingentorum abundat. Horum igitur, & consimilium

tiobabeatur. Et meminerint omnia loca nostra
 minus esse corporis, & congregationis membra.
 Neque velint peculiari aliqua affectione ducti
 (Quod sane vitium est maxime proprietatis) me-
 brum aliquod vt puta brachium vnu, ita sanum
 validum ac forte, nimia indulgentia efficere, vt al-
 terum infirmum inuvalidum ac imbecille, nulliusq;
 roboris reddantur. Quæ quidem taxæ cuiuslibet
 Monasterio, vt supra impositæ, infra præfixionem
 termini ad soluendum, à Prælatiis omnibus, & à
 quolibet ipsorum pro sui rata Monasterij, quibus,
 & vbi solui debebunt, soluantur. Quod si quis
 elapso termino non soluerint, intelligatur, & sic
 ipso iure à suo officio, & prælatura suspensus.

QVO NAM PACTO FACILLIME
 fieri potest, immo & debet, vt Generalis
 ab vniuersa Congregatione: & quili-
 bet Prælatus à Monachis sui Mo-
 nasterij eligantur. Cap. XI.

Quo ad electionem vero Prælatorum, quæ re-
 gulariter fieri solet, feria quinta in prima,
 vel secunda sessione, quædo scilicet cætera omnia su-
 perioribus diebus, absoluta fuerint, Patres in pri-
 mis statuerunt, vt in tertio ac postremo anno ge-
 neralatus, teneatur Reuerendissimus Pater, ac
 Visitatores inuisationibus suis disquirere à Mo-
 nachis singillatim, tam Prælatiis quam subditis,
 quem nam e Patribus, in futuro capitulo, pro bo-
 no Congregationis, cuperent fieri Generalem: &

vota singulorum in libro *Visitationum* conscribere. Absolutis deinceps *Visitationibus* antequam ad determinationē *Definitoriū* veniatur, ipse met *Reuerendissimus*, ac *Visitatores* colligant diligenter in vnum vota singulorum, nullum omnino prætereuntes: & personas nominatas, cum numero vocum, seorsum scribant. Postremo dum *Visitationes* *Patribus* *Definitoribus* legenda erunt, legantur, & huiusmodi petitiones: vt videant *Patres*, qui nam pluribus suffragiis petantur, & no- tent: ut subinde habita matura consideratione, studeant vniuersitati, quoad fieri potest, satisfacere.

Et hunc eundem ordinē seruari volunt in electione aliorū prælatorū: nempe vt *Prælati*, cum fuerit in fine sui officij interrogetur, ac pariter omnes *Monachi* eiusdem *Monasterij*, quem nam uellet in *Prælatum* illius loci, & quem idoneum ad id one ris subeundum pro illo tempore indicarent: & habitis hoc pacto votis vnus cuiusq; *Monasterij*, ac etiam filiorum earundem domorum, etiam absentij, quem nam uidelicet & ipsi cuperēt domibus, quarum sunt professi, præfici: scribant omnia, & ad *Capitulum*, ut dictum est, deferantur. Et *Patres* *Definitores* curabunt (postposito quocumq; interesse particulari) eos præficere *Monasterijs*, qui à maiori, & saniori parte fuerint exposulati. Ita enim omnia cum pace, & satisfactione *Monasteriorum* disponentur, & *Reuerendissimus Pater*, serè ab omnibus & singulis *Congregationis* *Monachis*, quodāmodo eligeēt. Et *Prælati* reliqui à suis *Monasterijs*, iuxta *Regulæ* dispositionē.

Ut autem hæc omnia feliciter succedant, necesse est, ut omnes, & singuli, solius Dei timorem, ac rationem in suis petitionibus præ oculis habeant, & bonum Congregationis vniuersale, nec sinant se passionibus, vel aliquo peculiari commodo à bono, et vero abduci.

Præcipiunt etiam inuiolabiliter obseruari constitutio facta in capitulo Marthæ, per quam disponitur, ut post duos Generales Cenobitas, sequatur de necessitate in eodem gradu, & fiat Generalis, vnus ex Eremitis: & similiter post duos Eremitas Generales, quando sic esse contingerit, succedat necessario in eius loco, & subrogetur vnus ex cenobitis: Non tamen propter hoc tollitur facultas, quin possint vicissim, modo vnus e Cenobitis, modo ex Eremitis, & alternatim ad eundem Generalatus Gradum assumi. Sed hoc dumtaxat intelligunt, ac volunt, ut non possint immediate sibi inuicem subrogari in officio Generalatus, aut eligi nisi duo cenobite, vel Eremitæ: ita ut nunquam tertius super addi possit.

Nolunt præterea, iuxta tenorem dictæ constitutionis, quo ad cenobitas, ut possint duo Generales eiusdem Monasterij professi, imediate sibi inuicem succedere. Similiter vetant, ne vllus assumatur in Visitatorem, qui eiusdem sit professionis cū Reuerendissimo Patre Generali. Pari etiã modo assumi non possint ex eodem Monasterio, seu professione plusquam Septem Prælati, iuxta constitutionem, et consuetudinẽ iam per multos annos, & toties approbatã, ac tandẽ à sancta sede Apostolica.

Declarant nihilominus, quod in numero hoc septenario Prælatorū eiusdem domus, & professionis, computari nullo modo debeat Pater Generalis.

DE GENERALIS AC ALIORVM
Prælatorum electione. Cap. XII.

HIs igitur omnibus, & singulis diligenter inspectis, cum iam dicta dies, qua electio nes Prælatorum fieri debent, aduenerit, omnibus alijs capituli negocijs absolutis, & cantata solemniter Missa Spiritus Sancti ab eo, cui contigerit: ad electiones Prælatorum hoc pacto procedatur. Eligantur primum, modo supradicto, tres alij scrutatores, uel iā electi, pro scrutinio Patrū Definitorum, confirmabuntur: Deinde Reuerendissimus Pater, breui admodum oratione, adhortabitur & scrutatores, ut fideles esse uelint, ac diligentes in negotio tanti momenti, & reliquos Patres, ut semotis omnibus priuatis commodis, permittant se à Spiritu Sancto (cuius nutu omnia recte geruntur) duci, ac gubernari. Postremo quilibet Definitor proponat aliquem eligendum in Generalem, prout ei conscientia dictauerit, scribendo nomen eius in schedula. Verum animaduertāt sedulo Patres nostræ congregationis morem, habētenus, & quidem laudabilem extitisse semper, cōfirmandi usq; ad triennium completum in Generalem, eum qui gradum illum tunc obtinet: nisi forte legisimum aliquod impedimentum obstaret. Cum itaq; omnes, & singuli Definitores scripserint

rint, & aliquem unum in scheda nominauerint, ponant schedulas illas in vase, ita ut legi non possint, & accitis scrutatoribus, eas in eodem vase, illis tradant. Qui inde recedentes, in proximam eorum residentiam veniant, & lectis schedulis, & collatione facta numeri ad numerum, fideliter scribant, secundum ordinem professionis, omnes propositos, & nominatos. Deinde reuertentes ad Definitorium, pronuntiabunt eos coram Patribus, dicentes hoc pacto, Reuerentiæ vestræ proposuerunt in Generalem R. Patrem D. N. R. Patrē D. N. & R. P. Dominum N. et relicta ibi cedula nominatorum ad Generalatum (seruādo sibi eius copiam in folio cum numero fabarū, quibus vnusquisq; fuerit nominatus) accipient scrutiniū primi Visitatoris, quod interim Patres fecerint, ne tempus absumatur; & sic deinceps de alijs Visitatoribus, & Prelatis.

Habito scrutinio, Patres, post colloquium aliquod, si opus fuerit, circa idoneitatem propositorum in schedulis, vnum quemque proponent inter se ipsos Nouem: & qui inuentus fuerit plura suffragia (ultra medietatem) habuisse, seu plures fabas nigras, scribatur ab vno ex Definitoribus in papiro ad id deputato, sic. Talis ad Generalatū tot vocibus seu fabis est petitus, & electus. Et sic de alijs Visitatoribus, & Prelatis.

Sed notandum quod scriba, nisi fuerit de numero Definitorum, non debet interesse huiusmodi electionibus, sed vices eius aliquis de corpore Definitorij supplebit. Item notandum quod Praesidens

fidens, si est denumero Præpositorum in schedulis, ante omnes semper proponi debet scrutandus per fabas. Item notandum, quod dum aliquis de corpore Definitorii proponendus est, egredi debet extra Definitorium ut magis libera sit electio, & ipse sibi suffragium minime tribuere ualeat. Scien- dum est etiam, quod frustra nominatur, siue pro- ponitur, qui iam electus est Prælatus alicuius Mo- nasterii. Ut autem occurratur scandalis, quæ euenire possent, præcipiunt Patres, ne aliquis Conuentualis, existens Definitor, possit ab illo De- finitorio eligi vlllo pacto in Prælatum. Sed hanc eis dumtaxat facultatem faciant, vt tales Con- uentuales valeant, pro illo anno, eligere sibi ad habitandum quodcumq; Monasterium nostræ Con- gregationis illis magis placuerit. Electis proinde Prælatis, eligantur confessarii, ac Capellani Mo- nialium si opus fuerit, quod si non eligantur, intel- ligantur confirmati ydem, qui tunc resident in offi- cio. Eligantur etiam Procuratores, si qui sunt ad aliquod regimen sine titulo eligendi.

Eodem die, si tempus suppeditauerit, aut die sequenti, incipiendo a Patre Generali, deinde ab eis, qui sunt in Definitorio, denunciatur vni- cuique onus Prælaturæ, quæ sibi contigerit, ex Patrum electione: vocando eos singillatim intra Definitorium, secundum ordinem dignitatum: & singulis admonitiones fiant, ac solitæ cerimonie. Quod si quis absens fuerit, comittatur scribe, ut quamprimum eum, per literas, certiozem de one- re sibi imposto, faciat. Post Prælatos similiter

vocen-

vocentur Confessarij, & capellani Monialium, & si qui alij sint vocandi.

Ceterum antiquas Constitutiones innouando, volunt Patres, quod vlllo pacto quispiam assumatur ad aliquam Prælaturam, etiã titularcm, nisi post decennium à sua professione in nostro ordine & congregatione. Hoc etiam attendant Patres, quod Prælati, & Monachi, qui in aliquo Monasterio, uel regimine, immediate à Definitorio dependente, per triennium steterint, non possunt in illo iterum sub aliquo prætextu institui: nisi ex euidenti causa utilitatis illius Monasterij, fuerit, per Definitores, ex quibus ad minus octo consentiant; etiã per annum secum dispensatum: Ita tamen, quod si intra annum in aliquo Monasterio Prælatum deputari contigerit, si quidem ante festum omnium sanctorum id fuerit, pro integro anno illi computetur.

DE ELECTIONE GENERALIS & aliorum Prælatorum extra tempus capituli. Cap. XIII.

Viso quo pacto Generalis, ac reliqui Prælati à Definitorio quotãnis in capitulo eligantur, siue confirmantur: quoniã cõtingere potest, ut etiã infra annum, & extra capitulum, Generalis, vel alius Prælati, per mortẽ amoveatur: Idcirco opere precium est exponere, quo nã pacto tũ eis alij subrogari debeant. Iuxta igitur consuetudinẽ hæctenus seruata, & a felic. record. Paulo Tertio confirmata, deficiente Generali infra annum per mortẽ,

in hunc modum ad electionem successoris procedi debet .

Patres Visitatores , qui tunc erunt in officio , mortuo Generali , uel quomodolibet aliter amoto , debent quantocius , per literas , id significare Maiori Heremi , Abbati Sancti Michaelis de Murano , Abbati Classis , Abbati Carcerum , Abbati uallis Castris . Priori Sancti Mathie de Murano , Priori Angelorum de Florentia ; & demum Abbati Sanctae Crucis de Auellana (licet de eo nulla mentio habeatur in dicta confirmatione , quia tum temporis dicta Abbatia non erat in congregatione nostra) mandantes ut omnes & singuli , statuta die conuenire debeant Rauenne in Abbatia Classensi . Cumq; omnes praedicti praesules ibi conuerint ad electionem , hoc pacto procedant . Cantata solemnissime Missa de Spiritu Sancto , ad locum deputatum se conferant , ubi electio noui Generalis fieri debet , & habito inter se colloquio , qui in actu huiusmodi electionis dumtaxat , primum locum obtinere debeat minime uere alibi ; ut puta in Choro , & Refectorio , in quibus locis maior erit Perlati Domus , uidelicet Abbas Classensis ; Adhortetur omnes , ut pacifice , ac religiose in tali electione se se habere uelint ; & talem deligere studeant , quem putent uniuersitati gratum , ac huiusmodi regimini aptum , pro uniuersali bono congregationis . Deinde modo supra scripto , per scrutinium schedulas , & fabas , ad electionem procedant . Quod si praedicti decem , Visitatores , & Praelati infra mensem a morte , & obitu Patris Generalis , succes-

successorem non creauerint, inter se dissidentes, uel alia qua uis de causa, in tali casu conuocentur in eodem loco omnes alij Prælati Congregationis, et qui denuo propositi fuerint, ut supra in scrutiniũ, adducantur, & qui plures fabas nigras, seu uota ultra medietatem, habuerit, intelligatur electus, & sic Generalis.

Quod si vnus uel duo de numero dictorum decem, ob aliquod legitimum impedimentum, prædictæ electioni interesse non poterit, nocẽ suã alte ri minime cõmittere valeãt, aut quẽpiam subrogare, qui eius uicem gerat: sed in tali casu, procedatur ad electionem sine illis duobus: nec minus auctoritas penes illos octo uel nouem resideat, quã si adessent omnes. Cum autem dicti decem conuenerint sex fabæ nigre sufficient, ut quis legitime sit electus: præualeat nihilominus, qui plures, ultra medietatem, fabas habuerit nigras. Inter octo quinq; similiter uincunt. Inter septem quatuor. In summa, qui pluribus uotis medietatem transcendit, ille pro electo habeatur. Similiter si de toto numero Prælatorum, aliquos de esse contigerit, nihilominus statuta die, & indicta prius omnibus, & singulis, qui adfuerint, procedant, dummodo sint è tribus partibus due. Caterum declarant Patres non posse, nec debere in aliquo alio loco dicti electores congregari, quam in dicta Abbatia Clafsis: quæ pro hoc negotio præ omnibus sola deputata est. Seruent nihilominus in tali electione omnia superius dicta: ne uidelicet, plusquam duo Cenobita sibi inuicem succedãt in Generalatu: neq; plus-

plusquam duo Eremitæ, sed mediet semper, & sequatur, post duos Cœnobitas, Eremita, & è contra, ut supra. Caueant similiter, ne is qui eligitur, eiusdem sit professionis, cum defuncto, cui subrogatur. Si tamen infra annum contingeret eligi in Generali aliquis, qui eiusdem esset professionis cum aliquo ex visitatoribus, in tali casu volunt Patres, non obstantibus prædictis in contrariū, quod ille visitator, qui eiusdem esset professionis, cū electo Generali, perseveret vsq; ad proximum capitulum, & tum alius alterius professionis, in locum eius subrogetur. Quod si quis secus electus fuerit, non servatis videlicet omnibus, & singulis supra dictis, electio illa irrita sit, & ipso iure nulla.

Si vero aliquis Prælatus inferior infra annum mori, uel ammoueri, contingerit ad Reuerendissimus Patrem Generalem, & Visitatores spectabit alium in demortui, uel amoti locum subrogare, hoc pacto. Audito talis Prælati obitu Reuerendissimus vnus cum Visitatoribus, si commode id fieri queat, se transferat ad illud Monasterium quod sui Prælati solatio destitutum remansit: & auditis illius loci Monachis, post celebratam Missam de Spiritu Sancto, vna cum Visitatoribus ad electionem procedat. Debet siquidem vnus quisq; eorum vnum quempiam proponere, & qui plures fabas nigras in sua scrutatione habuerit, ille sit illius loci Prælatus. Quod si vota fuerint æqualia, preferatur qui maior est, secundum professionem: & omnium horum actuum sit loco scribæ, Notarius publicus, qui de eiusmodi electione sit

fit rogatus, & publicū faciat instrumentū. Scien-
dū vero est, q̄ Visitatores, dum sunt in tali officio,
nō possunt infra annū ad aliquā Prælatūrā eligi,
nisi ad Generalatū. Cū in huiusmodi electionibus
infra annū, ipsi tantum duo visitatores cum Patre
Generali conueniant; si alter eorū suffragijs pete-
retur, nō nisi duo electores remanerēt, quod quidē
absonum est, & perabsurdum. Quod autem dictū
est de electione Prælatorum infra annū; Intelligi
debet etiā de Confessarijs, et Capellanis Monialium,
procuratoribus, & alijs consimilibus.

Quo ad Prælatos Titulares si infra annū eligi
debuerint, modo supradiçto eligantur a patre Gene-
rali, & Visitoribus, excepto quod nō erit neces-
se adire Monasteria, in quibus obierint. Similiter
deficiente aliquo visitatore infra annum, per mor-
tē, uel quomodolibet aliter, Pater Generalis, &
reliquus visitor, si conuenerint, eligant aliū, ac
subrogent in demortui locum, modo superius nota-
to: quoad professiones seruato. Quod si nō cōcor-
dauerint, eius electio usq; ad capitulum proroget.

NVLLVM EX ALIA CONGREGA-
tione possit in nostra, ad aliquam
prælatūrā assumi. Cap. XIII.

Similiter ordinarunt, antiquis constitutionibus
Simberendo, quod nullus, qui ex alia cōgregatio-
ne ad nos uenerit (quod tamen raro eueniet & cū
cautelis supra positis) possit ullo tempore, nec de-
beat ad aliquā prælatūrā assumi in nostra con-

gregatione, neq; titulum aliquem pralationis habere. Idem quoq; obseruari volunt, ac mandant circa Patres Eremitas, qui fuerunt, antequam ad sacram Heremum venissent, alterius Religionis. Ipsi enim quamuis inter nos recipi valeant, non tamen possunt fieri Pralati. Secus autem de Patribus Eremitis, qui nullam aliam religionem professi sunt. Hi nanq; ad quamlibet pralaturam assumi possunt, & gradum quemlibet, etiam Generalatum, in nostra congregatione sortiri. Quod si aliquis contra hanc deliberationem, ex aliquo accidenti fieret Pralatus, ipsa talis electio irrita sit, & nulla: si tamen quispiam ob multa merita, & religiosissimam conuersationem dignus, qui assumatur ad pralaturam censeatur: non possit assumi, nisi per scrutinium uniuersale omnium pralatorum Congregationis in capitulo, & suffragijs septem octauorum.

DE PUBLICATIONE, ET ABSOLUTIONE Capituli. Cap. XV.

Omnia, quæ ad Generale capitulū pertinent, expeditis, omnes aduocentur, tam de capitulo, quam Monasterij, ubi Capitulū celebratur, publicenturq; per scribam capituli, tanquam auctoritate Apostolica publicū Notarium, Pater Generalis, Visitatores, ac Pralati Monasteriorū, tã administrationem habentes, quam Titulares: Et si qui sunt Administratores sine titulo: similiter Monialium Confessores de nouo electi, & si qui sunt Administratores, uel Procuratores sine titulo, et
his

his peractis per eundem scribam omnia terminata in capitulo publicentur, exceptis ijs, quæ secreta Definitores duxerint tenenda. Quæ vero publicata fuerint, Prælati, aut Conuentuales inscriptis ad sua Monasteria, fratribus suis denuncianda portent: postea publicentur nominatim omnes nostræ cõgregationis Fratres, qui præterito anno in domino quieuerunt, iuxta relationem Prælatorum factam Definitoribus uel scribæ: Ut si pro alicuius reque consuetæ orationes, ex ignorantia uel negligentia factæ non fuissent, suppleantur. Publicentur etiam nominatim si qui fugitini, uel expulsi, ut ab omnibus euitentur, secundum declarationes super capitulo uigesimo nono. Publicentur etiam mutationes fratrum, insuper, & fratres, qui anno præterito iuxta relationem prælatorum, uotum professionis emisierint. Ultimo publicetur locus sequentis capituli. Consequenter Pater Generalis committat omnibus, ut oretur pro Sanctissimo Papa N. pro Cardinalibus, pro Principibus, Prælati, ac Cõgregationis nostræ Benefactoribus, uiuis atq; Defunctis. Quib. peractis, qui libet Prælati petat à scriba, si qua ad suum Monasterium pertinentia ordinata fuerint, in authentica forma, in libro sui Monasterij postea adnotanda. Et in specie de fratribus ad suum Monasterium tunc deputatis, an pro aliquo illorum obtenta fuerit licentia, ut ad ordines promoueat, & quo tempore. Et similiter à Patre Generali requirat, si qua fuerint ad suum Monasterium pertinentia, & sic obtenta prius licentia, & Benedictione

percepta, facultas sit unicuique redeundi ad sua Monasteria, nisi ex aliqua causa fuerit necesse aliquos remanere. Generalis tamen, & Visitatores, ul. in recedant. Modus autem, hæc omnia pronuntiandi, ut ab omnibus idem ordo seruetur, erit iste videlicet. Primo pronuncientur Prælati. Secundo constitutionis siue inchoatæ, siue factæ. Tertio confessores Monialium, & Administratores. Quarto Mutationes fratrum. Quinto numerus professorum fratrum. Sexto fugitiui, & expulsi, ac licentiati. Qui omnes specificè nominentur, & à quo Monasterio Septimo specificentur nominatim defuncti omnes, & in quo Monasterio Octauo, impositio taxarum. Nono, locus futuri capituli.

DE POTESTATE GENERALIS, & Visitorum. Cap. XVI.

Generali nostro, qui semper esse debet, & Abbas Sancti Hipoliti de Fauentia: tanquã Patri Congregationis, deferatur ab omnibus: & eidem exhibeatur omnis reuerentia, & loci præminẽtia. Ipse etiã in quocunq; fuerit Monasterio, omnia signa, tã particularia, quã generalia faciat. Teneat penes se, non solũ paruum, sigillũ quo sæper uti debet, cũ signo Calicis, & Columbarum: verũ etiam sigillũ magnũ vniuersæ Congregationis, quo vtuntur Patres, ac ipse etiã Generalis, cũ aliquid præcipiũ nomine capituli, uel regiminis fieri contingit. Registrũ etiã capituli, aut ipse teneat penes se, aut ab aliquo faciat diligenter custodiri. Ad ipsũ defe-

deferantur Congregationis negocia, que intra annum occurrerint. Ad eundem principaliter pertinet, omni diligentia procurare, ut ordinata per capitulum, Patres, exequantur, & presertim quod distributiones, et taxa, debitis temporibus, persoluantur. Possit etiam in his, que intra annum occurrerint, & ubi sibi, tam pro euitandis, quam pro sedandis scandalis, & pro pace seruanda videbitur, cum vno saltim ex Visitoribus providere. Attamen ipse caueat, ne affectione, aut passione aliqua moueatur; sed omnia secundum Dei timorem disponere satagat. Quod si aliter fecerit (quod absit) sciat se per Definidores, sequentis capituli, puniendum.

Statuerunt etiam ipsi Patres, ac nullo pacto volunt (& si potest Generalis, immo debet, uti bonus pastor, pro bono, & defensione sui gregis, quoties opus fuerit, ob negocia Congregationis accedere ad curiam Romanam) quod nemini Visitorum, Prelatorum, uel fratrum liceat ad eandem Curiam Romanam proficisci, nisi accedente consensu ipsius Patris Generalis, & Visitorum. Et qui contra fecerit grauissime puniatur. Quam licentiam, si quando non facile haberi posset propter absentiam, ab ipso Patre Generali possit si periculum esset in mora, dare Pater Vicarius Provincialis. Possit etiam Generalis, immo, & quilibet Vicarius in sua provincia; quoties ex aliqua necessitate occurrerit; Monachos de Monasterio, ad Monasterium (etiam ipsis Monachis inuitis) mutare, & transnittere intra annum. Insuper Generalis, & Visitores, ut dictum est, licentiam dare possint adificia notabilia

in Monasterijs construendi, iuxta consuetudines nostras. Item possunt ydem, immo debent in actu Visitationis, causas, & lites inter Monasteria, ac personas Congregationis audire. & summarie (sola facti veritate inspecta) iudicare, & terminare. Quod vero, iustitia mediante, iudicauerint, vel terminauerint faciant obseruari. Et demum Generalis cum suis Visitatoribus, omnem representantes congregationem, ea omnia exequi possint, immo & debeant super quibus fuerint Capituli auctoritate muniti. Ordinauerunt preterea, quod si intra annum, pro aliquo negotio, congregare Patres contigerit, & aliquam facere Dietam, Generalis id facere possit; ac etiam locum celebrandæ Congregationis eligere. Quibus Congregationibus, & dietis interuenire debent omnes illi Pralati, quos supradiximus interuenire debere ad electionem Patris Generalis infra annum. Et alij, quos uoluerit ipse Generalis, & Visitatores. Ad ipsos etiam Generalem, & Visitatores pertineat, cum opus fuerit, propter scandalum aliquod euitandũ, ordinata per capitulum, de omnium consensu, & non aliter, suspendere, usq; ad tempus capituli, non tamen reuocare. Possint etiam, ubi necessitas urgeret, aliquod vniuersale in tota congregatione constitucere, usq; ad tempus capituli dumtaxat seruandum. Et sic ordinata per prædictos, pro bono Congregationis uolunt obseruari. Et quia munera excecant oculos sapientium, & subuertunt Corda iustorum, Statuerunt, iuxta sacram canonum sanctiones, quod nec Generalis

ralis, nec Visitatores, durante eorum officio, accipere nullatenus possint quaecumq; munera à fratribus nostris, uel Monialibus, uel alijs quibuscumque personis de congregatione. Quod si contra secerint grauitèr à Patribus Definitoribus, tempore, capituli puniantur.

QUANDO, ET QUALITER A Patre Generali una cum suis Visitatoribus, fieri debeant Visitationes.

Cap. XVII.

Tempus Visitationis Monasteriorum nostrorū regulariter uolunt Patres q̄ sit a festo Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis, usq; ad medium Quadragesimæ. Intra quod, nisi legitimo impedimento Generalis, & Visitatores fuerint impediti, teneantur suum officium expleuisse. Quod si alter Visitorum, uel ambo, fuerint legitime impediti, de consensu Vicarij eius prouinciæ, quam visitare uoluerit, eligat Generalis alium Prælatum, qui actu tantum sit Visitor, & non officio: ita ut intra prefatum tempus Visitatio non omittatur. Quam primum igitur Generalis, & Visitatores, Monasterium, quod visitare intendunt, applicuerint: captato tempore, congregatisque Prælato, Monachis, Conuersis, & Commissis ipsius Monasterij, Generalis aliquam breuem, puram, non in humanæ sapientiæ uerbis, sub hac forma, uel similifaciat exortationem.

X iij Fra

Fratres carissimi cū ex debito officii nostri, Venerimus uisitare charitates uestras, & Monasterium, tam in capite, quam in membris: Idcirco si quis uestrū aliquo indiget, ueniat ad nos, & cum libentissime audiemus, & iuxta possibilitatem nostrā, secundū quod desuper dabitur, prouidebimus. Si uero nullus uestrū aliquo indiget, Deo Gratias agite, & in hac pace uestra continuo manete. Charitatē inuicem seruantes, obedientiā, & reuerentiā, ob Dei amorem, Patribus impendentes, ac rigorem, Monasterium, & obseruantiam regularem accensis desiderijs, confouentes: & si qua alia huiusmodi uoluerint breuiter exhortari. Consequenter moneant Prælatum, & Monachos, quod si quis pro bono Monasterij sui iudicauerint aliquid insinuandum, libere loquatur: quoniā intentionis Patrū nostrorū est, quod in Visitationibus uitia, tã in Capite, quã in mēbris radicatus amputentur: cum ea tamen qua decet humanitate, & charitate. Caueat tamen quilibet, sub grauiori pœna, ne alicui, potissime, Prælato, quauis passione seductus, aliquod falsum imponat, seu aliter, quam dictum factumue fuerit, referat. Postea uero, tempore congruo, generalis, & Visitationes sint seorsum cum solo Prælato Monasterij, & ab ipso habeant informationem, de Seniorum suorum, & aliorum Monachorum conditionibus, uide licet. Si Prior Clausuralis & Decani, sint solliciti, circa sua officia; In audiendis fratrum Confessionibus in Diuinis officijs, & communibus exercitijs, &

in custodia obseruantia regularis; si sibi inuicē sint obediētes, & reuerentes; si ceremonias obseruent, & obseruari studeant: Si sint in admonitionibus fratrum, aut nimis tepidi, aut multum rigidi: Si Magister Nouitiorū sit sollicitus circa Nouitios suos, instruendo eos ad ea omnia seruanda, quę in Regula, & Constitutionibus nostris continentur. Inquirant præterea de idoneitate, & conditionibus eorum, ac etiā, si in eorum receptione, & professione obseruentur præcepta regulę, & constitutionum nostrarum. Interrogent etiā ipsum Prælatum utrum in administratione tēporalium Cellararius suum sequatur consilium, & voluntatē: si fratribus, potissime infirmis necessaria ministret: si sit exemplaris cum fratribus, & secularibus tam in factis, quam in verbis, gestis, & cæteris moribus: Si tēporalia Monasterij diligenter gubernet, & ministret: si libros computorum, ac rationum Monasterij sui teneat ordinatos: si instrumenta, & alia Monasterij iura diligenter conseruet: si inuentarium omnium rerum mobilium Monasterij, & immobilium habeat, an viderit etiam vna cum senioribus computa Monasterij sui; si Monasterium est debitis aggrauatum: Et quantum, & quē modum habeat satisfaciendi: Postmodum ipse Generalis, & Visitatores ante recessum (diligenter visis computis Debitorum, & Creditorum Monasterij: nec non reddituum, & expensarum) si viderint Monasterium notabiliter aggrauatum, moneant Prælatum, vt se temperet à sumptibus, non multū necessarijs. Inquirant etiam si qui sint fratres sibi

aut alijs superioribus rebelles, aut inobedentes; Et si correpti, non se emendauerint. Præterea inquirant, si ea quæ à capitulo fuerūt ordinata, quæ tum scilicet ad eos pertinet, obseruentur: Si Regularis obseruantia bene, & diligenter custoditur: Si Diuina officia ordinate dicuntur: Si Ieiunia regularia obseruentur: Si silentia temporibus debitis, iuxta Regulam, & Constitutiones tenentur: Si inuicem reuerentiam exhibeant, & honorem: Si sint cõpositi tam in choro, quam alibi, per Monasteriũ: & potissime in conspectu hospitũ & aliorum: Si se cum eis immiscant nõ vocati: Si Hospites cum humanitate, & charitate recipiantur: Si elemosine iuxta Monasterij facultatem ordinarie erogentur: Si priuilegia nostræ Congregationis, quæ in illo sunt Monasterio, aut etiã particularia ipsius Monasterij, caute, & diligenter custodiantur: & ea omnino uideant. In absentia postea Prælati inquirant Generalis, & Visitatores, ab uno quoq; supradictorum seniorum, & fratrum segregatim in suis Visitationibus, de se ipsis inuicem, ac de supradictis omnibus, prout uiderint cuilibet competere: Similiter de qualitate Prælati: Si sit sollicitus circa obseruantiam regularem, tam in se, quam in fratribus: Si corrigat fratrum excessus: Si frequentet diuina officia, & Capitulum culparum: Si una cum Decanis uisitet cellas: Si sepius exeat Monasterium, ac si est facilis ad dandam licentiã alijs, ut ex leui causa exeant: Si fuerit exemplaris in sua conuersatione, tam cum fratribus, quam cum Secularibus. Si in eo, aut in aliquo

aliquo Monacho fuerit aliquis notabilis excessus, & si confert de agendis Monasterij cum senioribus. Post dictas interrogationes si quis aliquid dicere voluerit benigne audiant, ac exortentur ad obedientiam Prælati sui, ad charitatem fratrum, ac regularem obseruantiam.

Si qua præterea habuerint à capitulo, in ipso Monasterio examinanda, examinent, ac perquirant, si vera fuerint, vel falsa quæ fuerunt Patribus, & capitulo delata. Similiter exequantur si qua fuerint à capitulo, pro bono eius Monasterij, aut alia causa eis demãdata. Tandẽ habita de omnibus prædictis, prudẽti, & diligẽti informatione, tractẽt apud sèmet ipsos Generalis, et visitatores cù Dei Timore, quæ sint monitione, quæ reprehensione, & quæ correctione digna, tam in Prælato, quã in senioribus, cæterisq; fratribus. Aduertãt autẽ, ne facilius credant omni spiritui, sed probent spiritus, si ex deo sunt. Nec aliquem ex sola suspitione cõdemnent, sed omnibus circũstantijs cõsideratis, cum prudentia, & matura deliberatione diiudicent. Et si quos culpabiles, sine reos deprehendat, simul, aut separatim, moneat Generalis, increpet, & corripiat, iuxta excessuum qualitatem. Et secundum Constitutiones nostras, ordinet in premisfis, quæ fuerint opportuna, ita ut suo consilio, & directione, cuncta secundum Deum bene disponat. Possint autem prædicti Generalis, & Visitatores, Prælatum, si quem in notabilem excessum deprehenderint incurrisse, aut minus idoneum ad regimen (adeo quod non possit absq; manifesto scãdalo
sen

seu graui damno Monasteriū, usq; ad capituli tempus tollerari) omnibus concurrentibus votis, suspendere, & alium pro eo subrogare. Possint insuper omnes, & singulos seniores, & officiales Monasterij ab eorum curis, & officijs suspendere, & absoluerē: & si iudicauerint expedire, ab eorum Monasterijs remouere. Caueant tamen ipse Generalis, & Visitatores, ne inordinata affectione, vitia uel excessus, dissimulando, pallient: seu inordinata passione plusquam, & ubi opus non fuerit, aliquem in culpent, seu reprehendant, nec secundum Augustinum, querant quid corrigant, sed corrigant, quod inuenerint. Nam sicut ordinate, & cum prudētia factę visitationes, sunt causa obseruantię regularis; conseruandęq; Religionis occasio: Ita ē contrario, imprudenter, & inordinate, siue cum passione factę; ruinę occasionem præstant. Meminerint etiam ydem, Generalis, & Visitatores, Visitationum, & officij sui, Patribus Definitoribus rationem exactissimā reddituos. Vltimo cōuocent in capitulo Prælatiū cū cæteris fratribus, Conuersis et Cōmissis; ibiq; eos breuiter exortentur ad mutuā charitatem, & pacē; nec non obedientiā, & reuerentiā Prælati, ut supra: Et si quid voluerint monere, uel corrigere, id faciat Generalis, cum omni humanitate, & charitate, & VALE facientes, pro se orari petant, & in pace dimittant. Licentię vero ab ipso Generali, & Visitoribus datę, nullius sint valoris, & momenti, nec eis vlla fides habeatur: nisi sint in scriptis sigillo nostrę Congregationis signa-

signat. Ego frater Sil. eiusdē Camald. ordinis Monachus, has suprascriptas constitutiones de mandato Patrum in unum collegi, & in banc, quæ supra formam redegi, Florentiæ. Anno Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo Nono.

Et si Reuerendi Patres Definitores capituli eiusdem Congregationis, celebrati dicto anno Domini 1569. in Abbatia nostra Classensi; has omnes suprascriptas constitutiones; & in Regulā D. Patris Benedicti declarationes, a dictis Patribus Reformatoribus factas, acceptarunt, confirmarunt, et approbarunt, nemine penitus discrepante; uti videre est in Registro Actuum dicti capituli, manu Reuerendi Patris D. PHILIPPI Florentini dicti capituli Scribe; ad maiorē tamen cautelam & ipsi Patres Definitores manu propria subscribere videlicet.

Ego D. Iohannes Baptista Generalis, in fidem subscripsi.

Ego D. Romualdus de Verona.

Ego D. Antonius de Pisis.

Ego D. Hieronimus de Brixia.

Ego D. Lucas de Balneo Caballo.

Ego D. Patritius de Abbatia Pollicinij.

Ego D. Thomas de Sancta Agata.

Ego D. Andreas de Benania.

Ego D. Iulius Florentinus.

Similiter anno 1570. postquam Patres omnes Definitores easdem constitutiones, iam visas & approbatas à Reuerendissimo, pariterq; doctissimo viro Fratre Vincentio Herculano, ordinis
 pra-

predicatorū, ex mādato Domini nostri PII Quin-
ti, acceptauerūt, & confirmauerūt, ut patet in dicto
Registro, manu Patris D. SEBASTIANI de Fa-
briano scribæ capituli: & ipsi etiam manu pro-
pria subscripsere hoc pacto, uidelicet .

Ego D. IOHANNES BAP. Nouarensis Heremita
in fidem subscripsi .

Ego D. Egidius Comensis .

Ego D. Iustus de Saxoferrato .

Ego D. Philippus Florentinus .

Ego D. Petrus de Balneo Caballo .

Ego D. Dominicus Cremonensis .

Ego D. Thomas de Sancta Agata .

Ego D. Iacobus Maria de Fauentia .

Ego D. Siluester de Fabriano .

Quibus constitutionibus, cum & Illustrissimus
Cardinalis CLARAVALLENSIS, tū & sūmus Pon-
tifex PIVS QVINTVS supremam imposue-
rint manum: eas tandem, non modo Definitores, ue-
rum etiam Patres omnes, & Pralati totius ca-
pituli anni huius 1571. vna omnium voce,
pariq; consensu; existēte scribæ R. Pa-
tre D. CHERVBINO de Abbacia
Pollicini; tertio acceptaue-
runt, confirmarunt, &
approbarunt.

LAVS DEO.

Errata sic corrigantur .

Car. 14. MCCCCLXX, legge MCCCLXX. 18. vobis, vobis. 26. cogitacionū, cogitationū 29. vti dicet, vti de cet. 37. præcipere, pcpere. 40. nō formidare. 41. 56. impleati, impleat. 62. tuas ergo, Tuas nō eas ergo. 63. re tribulationis, retributionis. 64. fixi, fixis. 71. premisio, premisso. 81. respondeat, respondet. 81. dicet, decet. 85. cōmemorationē, cōmemoratio. 91. quadragesimā, quadragesimæ. 92. præeste, præest. 99. secundas, secundus. 102. secundū, secundā. 103. egro, ergo. 103. centesimā, centesimū. 109 & vesper, & ad vespervas. 113. Aduersio ne, animaduersione. 121. viceni, vigeni. 124. pollutū, pollubrū. 130. hoc est, hæc est. 131. Illis, illi. 140. si ut, sicut. 140. videbatis, & q, videbatis, allumebatis, & 143. discedit ne: discedit, discedat, ne. 146. ac tamen, hac tamen. 149. abscendens, abscedens. 152. gradū bonorū, gradū bonū. 158. ac tamen, ea tamen. 158. ut ad apud, vt apud. 161. prelati, prelatus. 164. districtioni, districtiori. 170. fiat, sine. 170. prædicti, præditi. 171. in firmos, infirmis. 172. sed in eis, sed sit in eis. 173. alij, alijs. 175. exordinatur, exordia. 178 facultatē, facultate. 178. contrauenerit, contrauenerint. 178. vncinarū, vnciarū. 180. cibo. cibo. 181. patre, parte. 181. libide libido. 181. terris, terreis. 184. distincte, districte. 186. ritiū, vitiū. 188. suffici, sufficit. 188. transgressionibus, transgressoribus. 194. carceris, carcerum. 208. saltatione, salutatione. 211. adstant, adstiat. 233. fecerint, fuerint. 235. De cōmissi, de cōmissis. 250. carceris, carcerum. 251. dicti, dictus. 251. eritus, erit. 254. suspiciosos suspiciosus, 258. facer, facere. 261. valeant, valeat. 263. dedet, debet. 271. nihil hominus, nihilominus 282. va Iemus, valeamus. 282. rectissimam, rectissima. 282. collocationes, collationes. 286. singellatim, singillatim. 287. admittici, admitti. 300. vniuersitatibus, vniuersitatibus. 307. cum, cum. 311. soluerint, soluerit. 315. nominatus, nominatos. 324. constitutionis, constitutiones.